RHETORICA ECCLESIASTICA ANTIQUO-NOVA THEORETICA & PRACTICA

Admodùm Reverendis Dominis Instituti S. Augustini Canonicorum Reg. *de Saxia* Professis, id temporis Eloquentiæ Auditoribus.

à

M. VALENTINO SZYLARSKI
Philosophiæ Doctore, ejusdemque & paulò ante Rhetorices in Collegio eorundem Canonicorum Reg. *de Saxia* Professore, immediato Scholæ SSmi Spiritus, in præsentiarum Contubernii Geloniani Seniore, compendiosè

TRADITA.

Nunc verò insigniter

AUCTA

ac in lucem

EDITA.

A. D. 1765.

CRACOVIÆ
pis Semin: Episc: Academ: Diœc

In gentilitium Stemma
Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini
PRÆPOSITI GENERALIS.



I.

Elevat ecce pedes Caper aptus ſcandere summ
Altior haud deerit gradus honoris adhuc.

II.

Tardior eſt Aſinus; pro *Templis* ſed *Caput* iſt
Et *Patriâ* multum fert, madet, alget, agit

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO

DOMINO

D. STANISLAO

De Podbaice

WOŁSKI,

Utriusque Juris in Universitate Crac: DOCTORI, PROTONOTARIO Apostolico, S. R. Mtis SECRETARIO, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium *de Saxia* per utramque Poloniam, nec non Ecclesiarum; Parochialis S. Crucis ac Hospitalis S. Spiritus Cracov. PRÆPOSITO GENERALI Domino, Mecænati Faventissimo.

Lucubratio isthæc ex se quidem vilis ac tenuis, argumenti nihilominus magnitudine, dignitate, præstantiâque commendatissima nec honorificentius, nec con-

venientius evulgari potuit, quàm tuis ſub auſpiciis. Perilluſtris & ReverendiſſimeDomine,Mecænas gratioſiſſime. *Quid eſt equidem, quod ſeu ad gloriam, ſeu ad congruentiam deſiderari poſſit? ſi à generis Mecænatum claritate, à longa fumoſarum imaginum ſerie, ab illuſtribus Majorum facinoribus doctis quidpiam ornamenti accedit operibus: num tibi aut præclara* WOLSCIORUM *Lumina, aut pervetuſta in* STAVISSIORUM *decoribus incunabula,* (*a*) *aut avitæ virtutis deſunt monumenta?* *Amplitudinem* WOLSCIANI *nominis vel inde metiri licet, quod in innumeras prope ſit diviſum* Propagines, *ſingulas autem celeber-*

(*a*) *Staviſsio primo talia arma in gentilitium collata inſigne circa Annum* 1022. *meminit* Okolski *II. pag.* 473.

berrimas. *Alios quippe* WOLSCIOS *de ſtemmate* Belina; *quorum Diſtrictus Varſavienſis:* *alios* Junoſza; *quorum Palatinatus Lublinenſis: alios* Koſcieſza *ſive* Strzegonia; *quorum item Diſtrictus Varſavienſis: alios de* Wola *Stemmatis* Cygni; *quorum Palatinatus Sandomirienſis, Diſtrictus præſertim Radomienſis: alios* Gieralt; *quorum Palatinatus Cracovienſis: alios* Pomian; *quorum Caliſienſis & Siradienſis: alios* Nałęcz; *quorum Bełzenſis: alios* Odrowąs; *quorum Ravenſis: alios* Prus; *quorum Palatinatus Lancicienſis nidus ac domicilium habetur, reperire eſt, in faſtisque relegere. Sed quis recenſeat omnes? Satis mihi ſuperque eſſet, ſi vel unam antiquiſſimam æquè ac præ-*

clarissimam WOLSCIORUM *de* Podhaice *Stemmatis vulgò* Pułkozic *dicti Prosapiam, cujus Tu* Perillustris & Reverendissime Domine *singulare exstas ornamentum, non dicam debitis celebrare elogiis, sed vel exactè describere valerem. Hæc est equidem, quæ non jam unius Territorii,* Palatinatûs, *Districtusve finibus continetur, ast totum diffusa per Orbem Sarmaticum, plurimos protulit viros* Sago Togaque *inclytos, meritis plenos, Patriæ amantissimos, Cives Reipublicæ utilissimos, Consiliarios fidelissimos, Justitiæ Administros æquissimos, vitiorum ultores acerrimos, libertatis vindices atque Assertores, denique pro Fide, Rege, & Lege Bellatores potentissimos.*

Liceat enimverò mihi in medium pro-

proferre immortali dignum memoria NICOLAUM *de* Podhaice WOLSKI, *qui á* Bielſcio (*b*) *Miles Sepulchri Domini ſtrenuus, invictusque contra exteros hoſtes* (*c*) *ſtetiſſe Heros, tandem á* SIGISMUNDO I. *ad* LEONEM X. *Pontificem Maximum, Legatum egiſſe memoratur. Idem* Paproccio *teſte ob maxima in Rempublicam promerita Caſtellanus Sandomirienſis, Hoffmagiſter Reginæ* Bonæ, *Viſlicienſis, Lomzenſis, Sanocenſis, Lanckoronenſis Capitaneus creatus fuiſſe deducitur. Ampliſſimi iſti Honores & tituli, quos poſſedit, argumenta erant recte factorum, magni judicii conſilii*que

(*b*) apud Okolſki Tom. II. pag. 483.
(*c*) An. 1561.

què indicia, præmia virtutis & laborum.

Eundem fuisse credideris alterum NICOLAUM *de* Podhaice WOLSKI *Culmensem primò, tum Cujaviensem Præsulem; qui utrique ut nomine sic virtute pares, neuter alteri palmam præripuit, neuter herbam porrexit. Nisi illos Statûs conditio distinxisset, vix recognosci possent. Uterque zelô Boni publici ac Orthodoxæ Religionis ardens pro* Aris & focis *alter ferrô, alter acutô stylô decertavit. Quanquam in commendationem tanti viri nihil præstantius dici potest, quàm quod de Ipso exaravit* Jacobus Gorski *Academicus Cracoviensis* (*d*) nil petulans, ni alie-

(*d*) *in dedicatione Jacobi Sadoleti & Samuelis Macieiovii.*

alienum à munere optimiPontificisin aula tua auditur,nil in accubitu nisi eruditum, castum, pium. Jam si vitam spectemus nil ea castius, nil magis sobrium, nil ab omni vitio magis alienum, formam illam & exemplar Pontificis optimi & ab reprehensione liberi, qualem D. Paulus Timotheum esse voluit, in Te intuemur. *Hæc de* WOLSCIO ACADEMICUS, *ut jam inde observare liceat innatam* WOLSCIIS *in* ACADEMICOS *benevolentiam: pariterque insitam* ACADEMICIS *in* WOLSCIOS *propensionem.*

Auget numerum & gloriam hujus augustissimæ Domûs STANISLAUS WOLSKI *Castellanus Brzezinensis, nec non Sandomiriensis,*

sis,

ſis, Varſavienſis, Krzepicenſis Capitaneus, qui privilegium unionis Ducatuum Oſvecimenſis & Zatorienſis A. 1564. ſubſcripſit, cujus quanta fuerint in Patriam merita, ex Honorum, quibus gaudebat, titulis conjicere fas eſt. Reliquit Js Filium NICOLAUM WOLSKI, *cujus eximias dotes ſera loquetur poſteritas, nulla unquam obmuteſcet vetuſtas. Hic namque Vir pro ea, qua pollebat in eloquendo facundia, in agendo dexteritate, bellicis in expeditionibus magnanimitate, in orando fervore, in largiendo munificentia ita ſibi nedum propriorum in Polonia Regum* SIGISMUNDI AUGUSTI, HENRICI, STEPHANI, SIGISMUNDI III. *at Chriſtianorum quoque Imperatorum* MAXI-

MI-

MILIANI & RUDOLPHI *corda animosque devicit, ut peculiares Illorum experiretur favores. Quod munia gloriosissimè gesta attinet, haud diu uno fungebatur Ministerio, quòd alia sibi Eum confestim eriperent tanquam ad omnia natum. Ensifer primùm Regni & Krzepicensis Capitaneus, dein Curiæ, mox supremus Regni Mareschalcus, Rapstinensis, Olsztynensis, Inovlocensis Capitaneus, Legationes ad Sanctissimum Dominum Nostrum* CLEMENTEM VIII. *ad Cæsarem Christianorum* MATHIAM, *ad Magnum Ducem Hetruriæ felicissimo eventu expediverat. Magnificam Ejus liberalitatem, (si non sanctam veriùs prodigalitatem appelles) clarè vel me tacente deprædicat splendidissimũ in* Monte

Ar-

Argenteò *ad Cracoviam Patrum* Camaldulensium *cum Templo Monasterium ab eo á primis erectum fundamentis, amplaque ac perpetua provisione ditatum. Deprædicat Monasterium* Krzepicense *Ejus impensis restauratum, nec unquam silebit Monasterium* Kłobucense *largissima Illius dexterâ provisum. Atque hic cum* Plinio (e) *mirari subit: Quid est causæ, cur aliis quidem cum omnia rapiant, & rapta retineant, ac si nihil rapuissent, desint omnia? viro autem huic, cùm tam multa largiretur, & nihil eriperet, omnia superant? non aliam rei istius rationem adverto, nisi quod dabat de suo, quòdque tam effusa in Illum*

fue-

(e) *In Panegyrico Trajano dicto.*

fuerint Numina, quam Ille propter Numina effusus.

Addunt insuper tantum splendoris Paginæ, quantum Prosapiæ majestatis THEODORUS WOLSKI *è supremo Regni Mareschalco Castellanus Cracoviensis, &* ADAMUS WOLSKI *Castellanus Lublinensis viri eruditione insignes, consiliô utiles, recte gestorum gloriâ celeberrimi.*

Nullô pactô præterire hic possum JOANNEM WOLSKI *Episcopum Posnaniensem vitæ integritate, morumque innocentiâ conspicuum, qui Senatum consiliô, Patriam meritis, Ecclesiam replevit virtutibus. Sed jam propius accedamus, atque* NICOLAUM *de* Podhaice WOLSKI *Thesaurarium Ravensem Patrem tuum desideratissimum*

con-

contemplemur. In quo præ cæteris eluxit, quodque maximè in eo ſuſpiciendum venit, eſt amor Patriæ, pro cujus Ille commodo nec viribus nec ſumptibus unquam ſuis pepercit. Vidit hanc in Ipſo virtutem & æſtimavit Palatinatus Cracovienſis, dum eum ſibi Mareſchalcum delegit. Strictim hæc breviterque perſtringo, quæ integras implerent panegyres; propterea, quod non deſint adhuc alii, quos meminiſſe juvat.

Multum quidem gloriæ à magno nomine derivavit STANISLAUS WOLSKI *Venator Lancicienſis Patruus tuus, ſed non parum etiam ab ejus pulcherrimis dotibus, heroicisque facinoribus profluxit decoris in Proſapiam. Cùm verò fortes naſcantur fortibus, & boni bonis, canente Poëta, non abſimiles ſibi genuit*

Fi-

Filios Capitaneum Sobucensem, & Regentem Cancellariæ Castri Lanciciensis Patrueles Tuos non bonorum modò, sed virtutum quoque Hæredes Paternarum.

Nolo longior esse in enarrandis JOSEPHI WOLSKI *Fratris tui Germani præclarè gestis, ne inflictum tibi per invida fata vulnus exacerbem: potiùs ad superstitem, utinam in longam annorum seriem!* LIBERATUM de Podhaice WOLSKI *Ordinis Eremitarum S. Augustini Ex-Provincialem dignissimum, Patrem emeritissimum, Conventus Cracoviensis Priorem vigilantissimum mentem oculosque convertens, conspicio Te ac Illum par nobile Fratrum, utrumque proceritate corporis, vultûs majestate, morum gravitate, sermonis elegan-*

tia,

tia, oris ſuavitate, prudentia ſin-
gulari, ſubtilitate ingenii, mira
affabilitate, animô generoſô, ma-
gnifica liberalitate ſecum quodam-
modo certantes, & nemeni cedentes
conſpicio. Atque hic clauderes jam
agmen Majorum tuorum Perillu-
ſtris & Reverendiſſime Domine,
ſed permitte quæſo Materni quoque
ſanguinis proferre claritatem, quæ
ferit oculos, ac ſeſe deprædicandam
offert. Quanquam quis ſatis de-
prædicaverit eximias dilectiſſimæ
Matris tuæ dotes? pietatem in ſu-
peros, largitatem in egenos, boni-
tatem in Domeſticos, propenſionem
in ſuos, affabilitatem in omnes?
Miſſa proinde facio cætera, ratus
meminiſſe ſatis Eam Bilſciani ſan-
guinis guttam eſſe inæſtimabilem.
Cum tam alto ſanguine non mino

res etiam à dilectissima Matre derivârunt dotes PETRONELLA *Magnifici* JOSEPHI *de* Brzezie RUSSOCKI *Vexilliferi Bracłaviensis;* & JOANNA *Magnifici* JOANNIS STAROWIEYSKI *Subdapiferi Laticzoviensis; consortes lectissimæ, sorores tuæ dignissimæ, quas morum comitas, oris venustas cum majestate conjuncta, matura prudentia, probitas, bonitas, cæteræque virtutes sæculis commendabiles reddunt.*

Quodsi sanguinis nexu conjuncta colligataque nomina: RUSSOCCIORUM, STAROWIEYSCIORUM, ŁODZINSCIORUM, KOMOROWSCIORUM, LIPSCIORUM, SIERAKOWSCIORUM, BILSCIORUM, PRUSCIORUM, PLICHTARUM.

KIEŁCZEWSCIORUM, BIELINSCIORUM, REMERORUM, GURZYNSCIORUM, SKRZETUSCIORUM, WALEWSCIORUM, SZCZEPKOWSCIORUM, FREZERORUM, *aliorumve ſexcentorum in exiguam hanc pagellam revocavero, ô quantum ei æſtimationis accedet!*

Quanquam ſi adſcitiis quodam modo, quæ tamen jure naturæ in te devolvuntur, hujusmodi decoribus opella hæc eſſet deſtituta ſatis adhuc ad ſui valorem pretii in Temet ipſo reperiret. Cùm namque nihil æſtimabilius ſit vera virtute ſolidaque eruditione, Tu in utroque excellis. Charitatem Dei Proximique; *quam pro fundamento jeciſti, facilè cæteræ virtutes conſe-*

cta-

ctantur. Inde ferventissima in Deum pietas, inde paterna egenorum cura solicitudoque nascuntur. Magna quidem sunt, quæ egenorum favore præstitisti & adusque præstas, sed quæ præstare animum induxisti, sunt longè majora. Cæli propitii vota tua coronent! Quid? Religiosæ observantia disciplinæ quomodo TE PRÆPOSITO GENERALI *non vigeat, qui exemplo præis omnibus? Multa hic ad calculum revocanda venirent, quæ* Sacer *hic* Ordo, *quæ* Collegium *ipsum* Cracoviense, *Tibi in acceptis referat, est necesse. Tu pristinum Statutorum vigorem restituisti, bonum ordinem, qui est anima rerum, præscripsisti, mutuam charitatem seminâsti, scientias consolantâsti,* Collegium, *ad hunc in*

quo se nunc aspectandum objicit, splendorem perduxisti. Plura ipsi muri, ipsi parietes novam à Te nacti formam, novumque decorem vel me tacente loquuntur. Quod eruditionem spectat, silentio prætermitto varia scientiarum genera, in quibus emines, sola namque Jurisprudentia *ad Tui commendationem sufficit, in qua quomodo versatus sis, luculenter demonstrasti, cùm repetitis vicibus* Judicem *à* Romana *Curia ageres* Delegatum. *Silentio nihilominus præterire nequeo incredibilem illam sacræ vim eloquentiæ, quâ Tibi tuæque* Religiosæ *Familiæ perennem famam conciliâsti, dum* Cracoviensibus & Sandomiriensibus *in Ædibus argutus unà ac vehementissimus detonabas Ecclesiastes.*

A

Atque ita ſenſim delabitur dictio ad id, quod initio propoſui oſtendendum, me non ideo duntaxat tenue hoc opuſculum tuæ inſinuare benevolentiæ, quòd à magno Tuo Nomine maximam in illud gloriam derivari intelligam, verùm etiam, quòd id maximè expedire videretur.

Nam præterquam, quòd Eccleſiaſtica dignitate præfulgeas, quòd in hocce dicendi genere magna cum laude Ipſe verſatus ſis; etiam, ſi unde profluxêre, eò flumina redeunt: præceptiones Rhetoricæ *iſtius, in* Collegio, *ſuaviſſimo tuo ſub regimine exiſtente, tua præcedente ſolicitudine, paucîs à me pro temporis capacitate traditæ, nunc fuſiùs explicatæ ad idem revertuntur, tuiſque favoribus ſeſe inſinuant; quò & Iis, qui pleniorem in hac*

Ar-

Arte notitiam habere voluerint, gratificer: & ardentiſſimorum tuorum in promovenda ad commodum Eccleſiæ & Patriæ *re Literaria ſtudiorum publicum exſtet teſtimonium. Non aliô quippe conſiliô notabiles pro reparatione* Scholæ *Sanctiſſimi* Spiritus *ſumptus erogaſti,* Profeſſorem *ab Alma* Univerſitate Cracovienſi *petiiſti & impetrâſti, hancque ipſam lucubrationem* Te Mecænate *in lucem prodire non aliô conſiliô permiſiſti, niſi promovendarum literarum deſideriô. Jd enim viris doctis à natura quodammodo inditum eſt, ut* literas *ac* Literatos *ſpecialibus gratiis foveant, protegant, complectantur.*

Suſcipe igitur exilem hanc ſtrenam *pari Deorum animo, qui corda offerentium, non munera reſpiciunt.*

Suſ-

Suſcipe opuſculum iſtud magni tui Nominis gloria inſignitum, quod tibi jure debebatur. Suſcipe quoque intimam votorum meorum teſtificationem: ut non modò hoc recèns inchoato Annô, verùm mille aliis eum conſecuturis omnia Tibi ex animi cedant ſententiâ. Dent Tibi ætatem Superi longævam, quam mereris, ſerventque animum, quem dederunt.

LECTOR BENEVOLE.

PRæceptiones Rhetoricæ Ecclesiasticæ è præstantissimis sacræ pariter ac profanæ, propter utriusque cognationem, eloquentiæ Magistris, antiquissimis & novissimis depromptas in lucem edere meditanti multa obversabantur, quæ animum à proposito avocabant. Taceo namque limam Doctorum, rudium ac sciolorum tribunal, Zoili dentem communia Scriptoribus fata: materiæ istius dignitas, amplitudo maxima, difficultasque tanta, quanta utilitas est, delicatus & varius sæculi nostri genius nova sublimiaque æstimans laborem reddebant æquè gravem, ac fructum operæ incertum.

An verò polliceri mihi potui, ut in ea, quam hodie reperias, librorum idem argumentum recoquentium copia, cum in omni scientiarum genere, tum in hac quoque cælestis eloquentiæ facultate stomachum moveret antiqua crambe ut ut novo obsonio condita?

Hæc aliaque id genus solicita mente revolventi mihi, virium simul ingeniique tenuitatem, cujus probé sum conscius, perpendenti visum erat præcepta isthæc sacræ eloquentiæ Candidatis non ita pridem magnam partem tradita, oblivionis posthac tenebris esse tradenda.

 Aliud

Aliud ſuaſit boni communis ratio. Nam tametſi pleroſque graves ac ſapientiſſimos viros (de quibus infra, ubi origo Rhetoricæ inveſtigabitur:) hanc provinciam ſuſcepiſſe, magnaque cum laude abſolviſſe non ignorem, utique illorum opera (publicas ſi exceperis bibliothecas:) in noſtra præſertim Patria, ad cujus loquendi idioma præſentem adaptavi opellam, deſiderantur. Aliorum monumenta ipſa obliteravit vetuſtas, alii multa præter hanc tractationem intermiſcent, perfectis viris atque Rhetoricarum præceptionum gnaris quaſdam *reflexiones* faciunt alii, pauci ad ſæculi præſentis morem & ingenium ſcribunt: atque Ji ipſi librorum magnitudine, pretio, difficili è diſſitis oris conquiſitione diſcendi cupidos terrent: opuſculum iſtud recens in publicum prodiens, huic unicè argumento intentum, Jncipientium uſui deſtinatum, antiquiſſimorum morem Oratorum referens, ac modernorum guſtui accommodatum, quanquam vel inde vile ſit, quod domi ſit, commodiùs haberi poterit. Neque verò *Scriptorum copia à ſcribendi munere nos* (ut inquit Proclus:) *avocet, urgeat potius ac provocet, & in exemplum aliorum ſcriptiones eant. Bonos libros qui conſcribit retia ſalutis expandit.*

Stimulum præterea calcarque adjecit ad id officii genus alacrius exequendum blandus Majorum aſſenſus, qui mihi mandati vice erat antiquius nihil habenti, quàm eorum nutui morem gerere.

Novi

Novi nihil, si res in ipsa spectetur, hic invenies Lector benevole; vetera quippe sunt Rhetoricæ præcepta, qualia fuerant etiam ante eos, qui post Aristotelem, Ciceronem, & Quintilianum scripserunt. Nova tamen ea tradendi methodus, quam candidatis sacræ eloquentiæ, rudibus iis & inexpertis accommodatam volui. Prolegomena naturam Rhetoricæ, dotes item atque virtutes sacro præsertim in Oratore requisitas indagantia præmisi, quæ legisse ac præstitisse sufficiet. Sequuntur dein quinque Libri totidem Rhetoricæ partibus licet non ex asse respondentes: quorum primus ab *Amplificatione vulgari* incipit; propterea, quòd hanc ad omnes eloquentiæ partes constet esse necessariam. Eidem *Amplificationem Oratoriam*, doctrinamq; de *Affectibus*, propter illam, quam secum habent, connexionem, putavi conjungendam. Liber secundus *Inventionem Oratoriam*, tertius *Dispositionem*, quartus *Elocutionem*, quintus *Memoriam* & *Pronuntiationem* complectetur. Singuli hi Libri pluribus pro ratione materiæ constabunt capitibus suos in Articulos subdivisis, qui aliquot quæsita cum Responsionibus continebunt. Ubi vides excepto *Libro I.* in reliquis tradendis me à *communi* Rhetorum more non recessisse. Verum quidem in votis mihi erat tractationem de *Elocutione* cæteris Rhetoricæ partibus præmittere. Nam Figurarum quoque, Troporum ac Periodo-

riodorum notitiam præprimis Oratori novitio censeo acquirendam. At facile sibi consulet prudens eloquentiæ Candidatus, cujus id industriæ reliqui, si primum simul cum quarto, aut alternis vicibus modo hunc, jam illum Librum revolvat. Prolixitatem vitare pro virili conabar, superflua amputando, quæ ex copiosissimis magnorum virorum scriptis supplebunt docti: necessariis tamen, etiamsi minutioribus deesse nolui, quæ exigant docendi.

In Exemplis ad illustranda præcepta adjiciendis eum modum tenui, ut vel ex sacra scriptura, vel SS. Patribus, propter auctoritatem; aut ex Cicerone (rarissimè ex Seneca vel alio Auctore profano:) propter styli elegantiam; aut è præstantioribus hujus ævi sacris Oratoribus seu Gallice seu Latine editis, partim retento Latino idiomate, partim vernacule reddita, propter commodum & normam tironum, qui olim Patrio sermone Verbum DEI prædicaturi sunt, jam servatis, persæpe autem consulto mutatis verbis, imo interdum ipso etiam sensu præceptis accommodato, deprompta; aut ad extremum deditâ operâ ad Ciceronis potissimum imitationem elaborata, quò patefieret, argumenti, quod ab Ecclesiaste tractatur diversitatem nihil obesse, quin Oratorem istum valeat imitari, passim subjicerem. Semper autem talem illorũ delectum habui, ut ea potissimum afferrem,

rem, quæ essent gravibus referta sententiis, atque adeo, etiamsi artis exempla non forent, digna tamen essent, quæ legerentur.

Paradigmata quædam longiuscula ad varia Amplificationum genera apposui, quæ *styli*, ut vocant, *extemporanei*, eloquentiæ Candidatis tradi exercitii causa soliti, ac per me traditi partes sunt.

Exercitationes seu praxes ciendorum affectuum de industria proposui, ut jam inde consuescat futurus Concionator, in parte Oratoris potissima simili ratione exerceri. Cùm enim excitatio affectuum spiritus quidam orationem animans sit, tum nescio quô fatô ea vulgo negligi observatur.

Reliquum est quod te obsecrem Lector amice, ut si errores aliquos in libellum hunc irrepsisse, aut minus cultum ac expolitum stylum me attulisse, vel æquo liberiùs Auctoribus adhæsisse adverteris, non meæ id inertiæ, at temporis angustiis, loci molestiis, cæterisque Academicæ vitæ incommodis benignus tribuas.

Fruere interim hac mea qualicunque operâ ad sublime *Adjutoris Dei* (a) munus destinate Tiro, eamque ad majus Divinæ gloriæ incrementum, animarumque pretiosissimo Servatoris nostri sanguine redemptarum salutem adhibe, quæ unica mea intentio est, & suscepti laboris, quantus quantus ille sit, propositus finis. *Auctor operis.*

(*a*) 1. *Cor.* 3.

APPROBATIO.

Collecta isthæc præcepta Ecclesiasticæ Rhetoricæ ad commodum Studentium & in hoc genere discendi proficere cupientium posse in lucem extradi judicavi & approbavi. D. 7. Maij. 1763.

M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI S. Theologiæ Doctor & Professor, Collega Major, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Censor.

mpp.

Librum hunc, cui titulus: Rhetorica Ecclesiastica, legi, & dignum esse, ut in lucem publicam prodeat, judico. A. D. 1763. Die 7. Maji.

M. ALBERTUS BIEGACZEWICZ Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Censor.

mpp.

PERMISSU
MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS.

Semper ſtatui neminem ſapientiæ & eloquentiæ laudem ſine ſummo ſtudio & labore & doctrina conſequi poſſe. *Cic. Lib. 2. de Oratore n 85.*

Quantum detraxit de ſtudio, tantum amiſit ex gloria. *Idem de Claris Orat. n. 105.*

PROLEGOMENA RHETORICÆ

In Communi & Ecclesiasticæ.

Cùm opusculum istud non modò iis accommodatum velim, qui jam aliàs præceptionibus Rhetoricæ forensis in publicis Gymnasiis tradi solitæ non segnem operam navaverint, ast iis etiam qui Rhetorices Scholam ne à limine quidem salutârint, operæ pretium fore existimavi, artis oratoriæ principia & quævis alia Ecclesiasticæ Eloquentiæ opportuna minimè excludere; ut & gnarus præceptorum vulgarium inveniat hìc non pauca sacro oratori propria, & ignarus eorundem non

desideret benè multa, quæ sibi cum profano oratore sunt communia. Quod ex sequentibus 4. §. nec non ulteriore tractatione planum fiet.

§. I.
De Natura, Divisione, Differentia, & Origine Rhetoricæ.

Q. Quid est Rhetorica in communi?

R. 1. Licet multi eloquentiæ Magistri vocem *Rhetorica* sive *Rhetorice* à Græco verbo *reo* significante *fluo* deducant, quia tamen sufficienter explicari nequit, à quo tempore ejusdem verbi derivetur, id circo potiùs à Participio inusitati verbi *reo* significantis *dico*, quod est *ritoriki* eandem provenire cum aliis censendum est, & subauditò substantivó *dinamis*, *facultas*, idem sonare ac facultas Oratoria.

R. 2. *quo ad rem* Rhetorica est facultas ornatè, prudenter, & copiosè dicendi: Dicitur *facultas* non *ars*. 1. ut definitio conveniat etiam naturali Rhetoricæ 2 quòd veteres eam esse artem negaverint. Certè ars non postrema Oratoris est artem occultare.

Q. Quotuplex est Rhetorica?

R. *2plex*: Naturalis & Artificialis.

Q. Quid est Rhetorica *naturalis*?

R. Est facultas dicendi unicuique congenita, non tamen perfecta?

Q. Quid

Q. Quid eſt Rhetorica *Artificialis?*

R. Eſt facultas conſtans præceptis naturalem dicendi promptitudinem perficientibus.

Q. *Utraque hæc Rhetorica quomodo ſubdividitur?*

R. In Sacram ſive Eccleſiaſticam, & Civilem, ſive Politicam.

Q. Quid eſt Rhetorica *Eccleſiaſtica?*

R. Eſt facultas ornatè, prudenter, & copiosè dicendi de Perſonis vel rebus in ſtatu ac ordine Spirituali ſpectatis, atque ad Dei gloriam animarumque ſalutem ordinatis.

Q. Quid eſt Rhetorica *Civilis?*

R. Eſt facultas ornatè, prudenter, & copiosè dicendi de Perſonis vel rebus in ſtatu ac ordine politico præſentis vitæ conſideratis.

Q. Quid per Rhetoricam Eccleſiaſticam antiquo-novam datur intelligi?

R. *Antiquam* nomino; quia præcepta ab antiquiſſimis Rhetoribus tradita à foro in Eccleſiæ uſum traducta, ac modos inſtituendi ad Populum ſermonis à primis Eccleſiæ Patribus, aliisque, Prædicatoribus longo temporis tractu uſurpatos ab hodierna dicendi ratione prorſus alienos continet. *Novam* appello; quia artem concionandi cùm proximis ſæculis uſitatam, tum præſertim hac ætate à Gallis & Italis profectam, totâ, quà latè patet, Germaniâ propagatam, perque alias mundi plagas celeriter diffuſam, noſtram quoque Poloniam (quod futurum ſpero) latiùs

tiùs pervasuram, in culmen hodie evectam, ad normam recentissimorum, qui exstant, sacræ eloquentiæ Institutorum explanando complectitur.

Q. Quô differt Rhetorica ab eloquentia, tum Rhetor ab Oratore & Declamatore?

R. Eô, quia *Rhetorica* præcepta dicendi porrigit, *Eloquentia*, eadem usui applicat, illa proinde habet se ut causa, hæc ut illius effectus. Similiter *Rhetor* propriè dicitur, qui eloquentiæ præcepta tradit vel explanat; qui verò discit, impropriè & per *Catachresin*, accipiendo Nomen propinquum pro proprio. *Orator* autem qui & præcepta callet, & eadem, in foro & concionibus perorando, exercet. *Declamator* ille dicitur, qui exercitii causa orationem pronuntiat, sive ipse eandem composuerit, sive alius.

Q. Quô differunt eloquens & disertus?

R. Quia prior ad præceptorum amussim exactam orationem conficit; posterior vi solius naturæ verba copiosiùs fundit.

Q. Unde suam Rhetorica ducit Originem, & quæ ipsius ad usque progressio?

R. 1. Rhetoricam cum cæteris disciplinis primo nostrum omnium Parenti Adamo à Deo infusam fuisse colligitur ex illo Sacri codicis testimonio (a) *Consilium & linguam & oculos & aures & cor dedit illis excogitandi: & disci-*

(a) Eccl. 17. v. 5.

sciplinâ intellectûs replevit illos, creavit illis scientiam Spiritûs sensu replevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis. Et v. 24. *Cognosce justitias & judicia Dei, & sta in sorte propositionis & Orationis Altissimi Dei.* Verùm postquam omnis caro corruperat viam suam, in malevolam animam non intrante spiritu sapientiæ, emortuæ aliquan diu & consepultæ fuerunt scientiæ. Nihilominus providentissimus Universi Rector sic naturam humanam instituit, ut in ea nedum virtutum ast disciplinarum quoque semina animis mortalium ingeneraret. Hinc *Rhetoricam Naturalem* simul cum genere humano cæpisse, nec nisi cum eodem desituram esse extra omne dubium est.

℞. 2. Quoniam teste Fabio (b) *nihil licet esse perfectum nisi ubi natura curâ juvetur*, necessaria fuit ars, quæ hæc ipsa, quæ tunc natura sola docente incultè ac imperfectè dictitabantur politùs absolutiùsque eloqui præciperet. Cum ergo Viri ingeniô præstantes quosdam temerè ac nulla ratione sermonem instituere, alios autem propter exercitationem, aut propter consvetudinem aliquam callidiùs id facere diligentissimè observârint, atque ex his virtutes, quas imitari; ex illis verò vitia, quæ fugere debemus, annotârint, inde præcepta pullulârunt, ars dicendi

(b) *Lib. 11. c. 4.*

di nata seu *Rhetorica Artificialis Civilis* exordium sumpsit. Cujus primum fuisse Inventorem Tisiam Siculum Romanæ Princeps eloquentiæ author est, en verba ipsius: (c) *Veteres quidem Scriptores Artis usque à Principe illo atque inventore Tisia repetitos unum in locum conduxit Aristoteles, & nominatim cujusque præcepta magnâ conquisita curâ perspicuè conscripsit, atque enodata diligenter exposuit, ac tantum inventoribus ipsis suavitate & brevitate dicendi præstitit, ut nemo illorum præcepta ex ipsorum Libris cognoscat, sed omnes, qui, quid illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quasi ad quendam multò commodiorem explicatorem revertantur. Atque hic quidem ipse & se se ipsum nobis & eos, qui ante se fuerant in medio posuit. Ab hoc autem qui profecti sunt, quanquam in maximis Philosophiæ partibus operæ plurimum consumpserunt, sicut & ipse cujus instituta sequebantur, fecerat; tamen permulta nobis præcepta reliquerunt: Atque alii quoque alio ex fonte Præceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit, opitulari sunt. Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus & nobilis Rhetor Isocrates: cujus ipsius, quam constet esse artem, non invenimus. Discipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte præcepta reperimus.* Ex hoc discursu liquet, quo modo

(c) *Lib. 2. Rhet. n. 1.*

modo Tullius commendet præceptiones Rhetoricas magnô sanè ingeniô, artificiô peneq; divina virtute ab Aristotele in tres Libros congestas: ipse non minori laude atque commendatione ex eodem capite dignus, utpote qui varia oratoriæ artis monumenta reliquit: Rhetorices quidem Libros duos de Inventione, Topica, Partitiones oratorias, Brutum sive de claris Oratoribus, librum de optimo dicendi genere, tres libros de Oratore; nam quatuor ad C. Herennium Quinto Cornificio non pauci tribuunt, tanquam indignos gravitate Ciceronis, licet doctè Latinèque scripti sint. Ex his tamen omnibus libri tres de Oratore ipsi Tullio magis probantur, quos juvenis etiamnum composuit, dein urgente Fratre, ubi provectioris jam ætatis erat eosdem magnô studiô perfecit. Quodsi duobus istis Aristoteli nempe & Ciceroni tertium M. Fabium Quinctilianum hominem ad informandos Rhetoricæ Candidatos natum factumque junxeris, qui (*d*) Calagura Urbe Hispaniæ oriundus viginti ipsos annos in publico Romæ Gymnasio artem oratoriam professus, tandem post institutos Domitiani Augusti ex Sorore Nepotes Consularibus ornamentis est insignitus; habebis tres Rhetoricæ Atlantes, qui ita eloquentiæ fontes exhauserunt, ut posteri nihil fluenti ex illis ni-

(*d*) *Dodwellus in Annalibus Quinctilianeis.*

ſi per hos quaſi canales in prata ſua derivare valeant. Non defuêre attamen ſuccedentibûs etiam usque ad noſtrum, quod vivimus, Sæculis, eximii artis iſtius Cultores, qui licet præcedentium veſtigiis inſtiterint, in aliquibus nihilominus induſtriâ ſuâ artem dicendi plurimum illuſtrârunt. Horum è numero ſunt antiquiores illi: *Lucius Annæus Seneca*, *Meſſala Corvinus*, *Aſinius Gallus*, *Q. Haterius*, *Plinius Junior* Trajani panegyrico celebris, *Numerianus Imperator*, qui maluit nuncupari orator, quam Imperator. Nam teſte Volaterrano ſimulacrum ſuũ hoc elogio concluſit: NUMERIANO. ORATORI. NON IMPERATORI. At haud longô poſt intervallô forenſis eloquentia in apicem perducta ubi inſoleſcere cæpit, impotenter agere, nec rarò honeſtorum quoque Civium cervices impetere: circa tertium à Chriſto nato ſæculum forò exulare juſſa intra privatos parietes continere ſe debuit, adeo ut barbaricis poſtea incurſionibus etiam purioris linguæ uſum perdiderit, donec cum cæteris bonis artibus abſterſa quaſi fuligine ſuperioribus ſæculis priſtino fulgori fuerit reſtituta: cujus vix non primus inſtaurator cenſeri poteſt *Franciſcus Petrarcha*; ſucceſsêre dein *Æneas Sylvius*, tum *Pius II.* Pontifex longè eloquentiſſimus: *Muretus* item, ejusque auditor *Franciſcus Benzius*, *Perpinianus*, *Poſſevinus*

Fran-

Franciſcus de Mendoza, *Nicolaus Vernulaus*, *Gerardus Voſſius*, *Marcus Boxhornius*, *Emmanuel Theſaurus*, *Ludovicus Borbonius* ſive Rhetores Galli vel Moguntini in ſuo Reginæ eloquentiæ Palatio. C. *Rollinus* Pariſinæ ; & Martinus *Waleſzynſcius* Cracovienſis ; Academiarum Rectores, *Cyprianus Soarius*, *Joannes Voellus*, *Rapinus*, *Joſephus Juventius*, *Dominicus De Colonia*, *Franciſcus Le Jay*, *Martinus Du Cygne*, P. *Michael à Viſitatione B. V. M. A. R. P. Stanislaus Konarſki* Schol. Piar. Plerique ſacram profanæ ſparſim ſociârunt eloquentiæ, ut *Nicolaus Cauſinus*, *Carolus Regius*, *Joſephus Arriaga*, *Joſephus Moinius*, *Hermannus Goldhagen*, *Georgius Worpitz*, noviſſimè *Franciſcus Xaverius Mannhart* 1762. Auguſtæ Vind. ſinguli Soc. Jeſu.

℞. 3. Quod *Rhetoricam Eccleſiaſticam* attinet, hæc primum autorem ſpecialiore quodam titulo ipſum ſibi Deum vendicat, ut deducitur ex c. 4. Exodi, ubi Moyſi legationem ad Pharaonem declinare volenti, ſuamque in eloquendo imperitiam ac naturalem difficultatem prætendenti: *obſecro Domine non ſum eloquens - - impeditioris & tardioris linguæ ſum :* reſpondit Altiſſimus : *Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? nonne ego? perge igitur & ego ero in ore tuo doceboque te quid loquaris.* Huic ſucceſſêre alii Prophetæ à Deo ad præ-

dicandam impiis pœnitentiam & conversionem missi. Tum *vox clamantis* (*e*) Joannes Præcursor Christi; mox ipse Christus Dominus, tandem Apostoli. Cæterum hi omnes divino afflante spiritu edocti erant, quid, ubi, quando, & quomodo prædicaturi essent. A temporibus Apostolorum Sancti Patres & Episcopi tam Græci quàm Latini partim insitâ à natura dicendi facultate, partim regulis profanæ eloquentiæ imbuti scripturas sacras populo interpretabantur, donec ineunte sæculo V. *S. Augustinus* in quatuor de doctrina Christiana libris præcepta quædam tractandarum scripturarum tradiderit. *A quo etiamsi nihil esset prætermissum, tamen longè alia temporum ratio postulat, ut quædam crassiore Minerva, explanatiusque tradantur* inquit *Roterodamus*. Et verò is volumen in quatuor divisum libros de ratione concionandi conscripsit A. D. 1535. Basileæ typis vulgatum quem Christophoro à Stadio Episcopo Augustæ Vindelicorum nuncupârat. Ubi dum *Lib.* 2. se primum post S. Augustinum hanc provinciam suscepisse profitetur, apparet, quòd non pervenerit ad manus ejus Libellus inscriptus *Evagatorium* continens sermones sacros 13. *Michaelis de Hungaria* quibus præmittitur *optimus modus prædicandi*, 19. ante Annis Argentinæ excusus, nimirum A. D. 1516. in quo præter aliquot Schemata & Locos (quod vo-

(*e*) *Joan.* 1.

cat *Colores Rhetoricos*) nihil amplius de arte oratoria reperias. Feliciùs id longè ſucceſſit R. P. F. *Didaço Stellæ* Hiſpano Ord. Min. Reg. Obſerv. qui A. D. 1576; item R. P. F. *Ludovico Granatenſi* Ord. S. Dominici qui 1594. nec non diſertiſſimo Viro *Amadæo Bajocenſi* ex Ord. Capucinorum, qui multa præclara ad informandos verbi divini præcones literis conſignârunt. His annumera P. *Franciſcum Romanum*, *Paulum Areſium*, *Laurentium à Villavincentio*, *Auguſtinum Valerium*, *Alexandrum Natalem*, *Ludovicum Janingum*, *Caſimirum Wijukkoialowiczium*, *Tobiam Lohnerum*, *quendam Anonymum*, de vero modo prædicandi. *Ludovicus Carbo à Coſtaciaro* divinum oratorem ſeptem eruditis libris eſt complexus. *Guilielmus* Pariſienſis Epiſcopus librum de Rhetorica divina vulgavit. *Pius Malzador* celebris Clericorum S. Pauli Eccleſiaſtes Tom. 2. Conc. in prœmio quædam oratori ſacro ſcitu utilia explanavit P. *Vincentius Houdrius* Soc. Jeſu Gallus in Bibliotheca Concionatorum methodum optimos quosq; oratores imitandi propoſuit. Acceſſêre & alii præſentis ſæculi R. P. *Hochenleutner* Ord. Min. S. Franciſci Reform. Defin. Prov. Bava. A. 1724. Auguſtæ Vindelicorum & Græcii P. *Valerianus Zellnerus* Ord. Erem. S. Aug. Prov. Bav. typis Ratisbonenſibus 1749. P. *Stephanus Kaprinai* S. J. 1758. Caſſoviæ.

§. II.

§. II.
De Oratore ſacro & qualitatibus in eo requiſitis.

Q. Quid eſt Orator Sacer?

R. Eſt Vir inſigniter bonus, qui prudenter ac ſalutariter de Deo rebuſque ſacris dicere valeat, cum quadam actionis dignitate. Dicitur *Vir*, nam *Mulieres in Eccleſia taceant: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe* inquit Doctor Gent. (*f*) item *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulierem non permitto* (*g*). Dicitur *inſigniter bonus*; ſi enim Oratorem Politicum Virum bonum volunt Rhetoricæ artis ſcriptores, nonne Eccleſiaſticum magis bonum eſſe convenit?

Q. Quibus dotibus ſacrum oratorem commendatum eſſe oportet?

R. In Eccleſiaſte requiritur: 1. *integerrimæ vitæ puritas.* Hinc cum Dominus Jeremiam Prophetam ad depravatos populi mores caſtigandos mitteret, in Matris etiamnum utero deliteſcentem ſanctificavit. (*h*) Paulus ad tertium cælum raptus, ut inter Angelos diſceret, quæ dein homines doceret. Et verò quî Magiſtrum virtutum agere poterit ille qui

(*f*) 1 *Cor.* 14. (*g*) 1 *Tim.* 2. (*h*) *Jer.* 1.

qui iisdem instructus non sit? qua fronte exprobrabit aliis vitia, si culpa Doctorem redarguet? Servandum hic est illud Livii & post eum Claudiani monitum:

In commune jubes si quid censesque tenendum,
Primus jussa subi, tumque observantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat cum viderit ipsum
Autorem parere sibi.

At si forte Politicorum auctoritas parum ad nos convincendos momenti adferat, convertamus oculos mentemque nostram in Principem & Caput Ecclesiastarum Christum, quomodo is Mulierem de adulterio arguentes redarguit dicendo (i) *qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat*, aut dum idem Servator noster doctrinæ suæ veritatem Judæis ostendere vellet, præprimis interrogavit illos (l) *quis ex vobis arguet me de peccato?* qui cùm nihil invenissent, dixit eis: *si veritatem dico, quare non creditis mihi.* Attendamus quoque alterum post Christum verèque divinum Prædicatorem Paulum inquientem (m) *Castigo corpus meum & in servitutem redigo ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Dignam tanto Doctore, dignam quovis concionatore vocem! sed quorsum hæc? nimirum ut intelligamus idoneum esse non posse Ecclesiasten, si facta dictis haud correspondant. Non quod iis quæ docet, fidem

(i) *Joan.* 8. (l) *l. c.* (m) 1. *Cor.* 9.

dem derogandi; aut iis, quæ præcipit, non parendi poteſtas ſit data; ſiquidem Legislator Chriſtus Dominus populo mandavit, ut Phariſæorum doctrinam amplecteretur. (*n*) *Quæ dicunt*, inquit, *facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt.* Sed quòd ea ſit mortalium malignitas, ut invento hocce ſpecioſo prætextu opponant ſe iis, quorum prædicatio à vita diſſidet; & quòd naturâ ita comparatum eſſe videatur, ut ægrè ferant homines, dũ in illis ad amuſſim exacta legis obſervatio requiritur à talibus, quibus à virtute tantũ auctoritatis non ſuppetit. Hinc appoſitè concludit Greg. (*o*) *Cujus vita deſpicitur, reſtat ut prædicatio contemnatur.*

II. *Scientia rerum plurimarum*; judice equidem Cicerone (*p*) *Nemo poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus.* Quodſi tantum in forenſi actore exigitur, quid de Evangelico Doctore ſentiendum? Quisquis igitur tam excellenti muneri ſeſe præparat non ſatis habeat humaniores literas, primoribus (ut ajunt) labris attigiſſe, niſi etiam in *Philoſophia* Rationali, Naturali & Morali proficere ſtudeat: tum quòd hæ diſciplinæ mirum in modum calignoſum intellectum huma-

(*n*) *Matt.* 23. (*o*) *ſupra Evang:* L. 1. *Ho.*
(*p*) *Lib.* 1. *de Orato.*

manum illustrent, tum quòd ad *Theologiam* Scholasticam, quæ anima Sacerdotis est, aditum patefaciant. Majori adhuc conatu in *Theologiam* non *Scholasticam* modo aç *Dogmaticam*, sed etiam *Polemicam* & *Moralem* incumbat, quo tutiùs atque faciliùs reconditos sacrorum voluminum (in quibus revolvendis debet esse assiduus) sensus interpretetur, Divina mysteria exponat, dubia resolvere sciat, obscura intelligat. Quid Jurisprudentia parùmne Concionatorem juvabit? nôsse Ecclesiæ definitiones, Conciliorum placita, Bullas Summorum Pontificum, Rotæ Card: decisiones nonne multum illius refert? quinimo id sibi expresè præcipitur: *Sciant igitur Sacerdotes scripturas sacras & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam in fidei scientia, quàm operum disciplina.* (q) An non etiam Historiarum Politicæ æquè ac Ecclesiasticæ notitiam ipsum habere expedit? at aliter quid solidi adferre poterit? unde antiquitatis notitiam acquiret? meritò igitur Aug. (r) *Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.* Quod si ita est, in subsidium quoque vocandæ erunt Geographia & Chronologia gemini hi-

(q) *Can, ignorantia Dist.* 38. (r) *L.* 2. *de doct. Xtian.*

historiæ oculi, sine quarum saltem mediocri peritia, nescio, quomodo plurimi loci Biblici præsertim in nominibus Regionum, Urbium, Montium, fluviorum &c. intelligentur, cùm idem fluvius aut mare alia atq; alia sortiatur nomina, plerumque in una Regione complura ejusdem nominis oppida aut flumina reperiantur; quomodo adventus Messiæ ex vaticinio Prophetarum impleto deducetur? quomodo interrupta Summorum Pontificum successio, Monarcharum Regumque series, Conciliorum eò loci & temporis celebratio, sanctorum Patrum per sæcula, quibus vixerunt, distinctio habebuntur, evincentur, ac facilè memoriâ teneri poterunt? Tandem Rhetoricæ artis adminiculum Ecclesiastæ esse perutile summèque necessarium multis probat Ludovicus Granatensis. Nemo quippe absque istius artis præsidio felix esse in concionando poterit, nisi vel Divino Spiritu sit afflatus, (quod Prophetis & Apostolis contigit) vel felicissimo ingeniô & ad dicendum appositô natus sit, (quod paucis concessum) atque ii ipsi multò commodiùs ac fructuosiùs munus hocce obirent, si istius artis præsidio non essent destituti. Selectorum quoque Poëtarum lectio iis præsertim locis, ubi puriores sunt, vivacissimas rerum descriptiones, variosque affectus movendi rationem suggerent. Neque mihi adeò contemnenda videtur

Gram-

Grammatica, ut eam silentiô prætermittam; constat enim illam cæterarum disciplinarum fundamentum esse, cujus neglectu quanta bonorum autorum corruptela sit profecta, clarius est, quàm ut hìc sit ostendendum. Hæc dum narro, non illam Grammaticen intelligi volo, quæ voces inflectere, aut rectè secum cohærere docet; absque hac etenim ad ulteriora studia gressum movere non licet: sed rationem propriè emendatèque suo idiomate loquendi. Neque postrema est in hoc difficultas. Cùm namque non omnis ferat omnia tellus, multa hìc inveniuntur, quæ alibi neque noscuntur & vicissim. Hinc in vocabulis avium, piscium, quadrupedum, arborum fruticum, herbarum tanta varietas, ut neque inter veteres illos Plinium, Dioscoriden & Hermolaum Barbarum isthoc in argumento strenuè desudantes semper conveniant rerum denominationes. Inde est, quòd in Dominica palmarum, pro palmeis buxeæ, vel fruticum frondes benedicantur, quæ tamen à Palmis longè differunt, quod genus arbuscularum in Judæa duntaxat nascitur. Non modicum itaque Ecclesiastes ferre cogeretur incommodi, ubi tractanda ei esset similitudo, Comparatio, aut Allegoria, cum ille, quid vox propriè designet, sitne arbor, lapis, flumen, aut piscis, non satis perspectum habeat, aut si Genus ipsius novit, Speciem tamen, naturam & proprietates igno-

rat. Quare *benignam ſane operam fraternæ utilitati* impenſurum ratus eſt Aug. (*s*) *Si quis eorum qui poſſunt, quoscunque terrarum locos, quavi animalia vel herbas atque arbores, ſive lapides, metalla incognita, ſpeciesque quaslibet ſcriptura commemorat, ea generatim digerens, ſola expoſita literis mandaret.* In eundem finem rerum atque inſtrumentorum fabrilium, cæterarumque artium Mechanicarum, ut congruè de illis diſcurramus, aliquam oportet nos habere notitiam, ne earum artium fabri impropria & abſona ſuis artibus aptari videntes, dicta riſu excipiant. Ad hæc accedit præter vernaculam trium aliarum linguarum nempe Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritia, non ut iis loquamur populo, verùm ſi quid in una verſione dubii occurrerit ad alteram, ipſosque fontes recurratur. Præterea multæ voces Hebrææ in Latino codice non interpretatæ leguntur, ut *Amen*, *Alleluia*, *Racha*, *Hoſanna* &c. *quarum partim propter ſanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuiſſent, ſervata eſt antiquitas, ſicut eſt Amen & Alleluia; partim verò in aliam linguam transferri non potuiſſe dicuntur, ſicut alia duo, quæ poſuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum quæ in uſum alterius linguæ per interpretationem tranſire non poſſunt. Et hoc maximè interjectionibus accidit, quæ verba potiùs motum animi ſignificant, quàm ſententiæ contextæ ullam particulam. Nam & hæc*

duo

(*s*) *loc. cit.*

duo talia esse perhibentur. Dicunt enim Racha indignantis esse vocem, Hosanna lætantis. inquit S. Aug. (*t*) Tenenda est igitur oratori rerum universitas & scientia tot tamque diversarum rerum possidenda, ut meritò concludat Tullius (*u*) *In oratore acumen Dialecticorum, sententiæ Philosophorum, verba Pöëtarum, memoria Jurisconsultorum, vox tragædorum, gestus pene summorum Actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest; quæ enim singularum rerum artifices, singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea, nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.* Inde sequitur oratorum paucitas, quam idem Romanæ Princeps eloquentiæ sic incusat (*x*) *Ac mihi quidem sæpenumero summos homines ac summis ingeniis præditos intuenti, quærendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus, quàm in dicendo admirabiles exstitissent. - - - Quis dubitet, quin belli Duces ex hac una Civitate præstantissimos pene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? - - vix singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur.* Hanc quæstionem sibi ipse resolvens non aliam rationem assignat, nisi quòd dicendi facultas *majus quiddam sit, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus stu-*

(*t*) L. 2. de doctr. Christ. (*u*) *l. 1. de orat. n. 30.*
(*x*) *l. 1. de orat.*

diisque collectum - - - est enim & scientia comprehendenda rerum plurimarum. Mirari proinde subit, quòd plerique, qui tam difficili prædicationis onere sunt obstricti, vel ad illud aspirant, vel certè de jure aut consuetudine populum instruere tenentur, interea turpi otio se totos dedant, nimia rei familiaris administrandæ solicitudine angantur, Clerico prohibitis distractionibus totum tempus impendant, & nullam ipsius partem præfatis plurimarum artium disciplinis tribuant, quibus acquirendis vix, ac ne vix quidem integræ vitæ nostræ ætas brevissimis definita terminis sufficeret! Minime observantes monitum Apostoli (y) *Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ - - - Attende tibi & doctrinæ: insta in illis: Hoc enim faciens & te ipsum salvum facies, & eos: qui te audiunt.* Cæterum humanæ imbecillitatis ratione habita cùm ferè impossibile sit in omnibus evadere consummatum, prudentis viri erit, iis pro concione recitandis abstinere, quæ sibi minus explorata aut omnino ignota sunt. In linguis Hebræa & Græca sufficit si tantùm versatus sit, ut lexicorum adminiculô genuinas vocum expressiones valeat indagare

III. *Singulari quadã Evangelica prudentiâ* Ecclesiastes præditus sit, est necesse. Isthæc siquidem virtus in ipsa oratoris definitione continetur,

(y) 1. *Thimot.* 4.

seu

seu est de intrinseca illius ratione. Insuper commendatur Dispensatori Mysteriorum Dei tum *Matth. 10.* ubi Christus monet Apostolos: *Ecce ego mitto vos, estote ergo prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*: tum in jure Canonico: *sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium, eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* (z) Prudentia præstat, ut ex temporum, locorum, ac Personarum circumstantiis conjiciamus, quid, quibus, quando, qua moderatione prædicemus, quod non præceptis ullis tradi potest, sed ex oratoris ingenio negotiique circumstantiis est petendum. Nihilominus habet Ecclesiastes exemplar prudentiæ, quod imitetur, Paulum. Advertet in illo, si observare velit, quomodo is, non semper expendit, quid liceat, sed quid expediat: interdum se abjicit, rursus in Christo attollit. Quædam hic profert, alia comodiore loco sibi dicenda reservat. Circumspectè invitat ad hæc, quæ sunt consilii, ne quempiam in errorem inducat, ut ea putet esse præcepti. Consideranda similiter est cuivis Evangelico Doctori in suo Auditore varietas ætatum, ingeniorum, sexûs, statûs, propensionis &c. *Aliter* namque teste Greg. (a) *admonendi sunt*

(z) *Can. sit Rector. Dist. 43.* (a) *Cura Pastoralis p. 3.*

sunt Viri, aliter fœminæ. Aliter juvenes, aliter senes. Aliter inopes, aliter locupletes. Aliter subditi, aliter Prælati. Aliter servi, aliter Domini. Aliter mundi sapientes, aliter hebetes, &c. Non enim una eademque exhortatio cunctis congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen à communi ædificatione nunquam recedat. Defectu hujus animadversionis plerumque accidit, quòd Concionator dum aliquorum mederur malo, aliis ejusdem mali ansam præbeat; & dum vitia persequitur, vitia doceat; dum scelera acriter coarguit, seditionem excitet. Contrà quam æterna Veritas erudiit Discipulos (*b*) *Habete sal in vobis & pacem habere inter vos.* Et D. Paulus suum Timot. (*c*) *Prædica Verbum, insta opportunè, importunè.* Dicturus *importunè*, præmisit *opportunè*, quia scilicet *apud Auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.* (*d*) Sanè prudentia in oratore tantum habet momenti, ut eadem causa ab hoc acta mereatur applausum, ab alio acta explodatur. Magnum igitur in Ecclesiaste Spiritus S. donum esse prudentiam nemo inficiabitur. Cæterùm (*e*) *Spiritus*

(*b*) *Marc. 9.* (*c*) *2. Timot. 4.*
(*d*) *d. Can. sit Rector. Dist. 43.* (*e*) *Joan. 3.*

ritus ubi vult spirat. Proinde posteaquam miracula desierunt, non modo longo usu exercendus est futurus Concionator, verùm etiam ille deligendus, qui naturâ videatur ad id muneris compositus atque delibutus. IV. *Infracta animi fortitudo* Ducem orthodoxæ legionis summopere decet. Multa etenim sibi viriliter agenda, nec his pauciora erunt patienter ferenda. Ad primum stimulum addit Apostolus (*f*) *increpa durè ut sani sint in fide.* Talemque vult Pastorem, *ut potens sit in doctrina sana exhortari, & eos, qui contradicunt, arguere.* Idem sentit Greg. (*g*) dum sic queritur: *sæpe Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimescunt.* Et Dominus tales increpat dicens: (*h*) *Canes muti non valentes latrare.* Alterum, quòd multa sint toleranda, vel inde patet: equidem si purissimus ille Agnus obambulans & gratis benefaciens omnibus, tanta mansuetudine docens, non effugit malesanas impostorum calumnias, quinimo socius Publicanorum, seductor populi, blasphemus & lapidatione dignus est habitus; quantò id minus sperandum est homini, qui ex officio suo reprehendit aliorum vitia, cùm ipse ab iisdem exemptus non sit? Accedit fidelium perversitas, fastus & per-

(*f*) *Tit. 1.* (*g*) *in d. Can. sit Rector. Dist. 43.*
(*h*) *Isaiæ 56.*

pervicacia. In hæc enim tempora incidimus, quibus Christiani, præcipuè quos summus ille rerum omnium Conditor &. Moderator Deus supra communem mortalium sortem elevatos nascendi conditione, fortunâ, & honore ex mera bonitate & liberalitate sua distinxerat, verbi divini prædicationes adeo parvi faciant, ut non modo eis attentam præbere aurem plerique sibi non convenire existiment, sed indignum rati vili plebeculæ commisceri, id ceu probrum aliquod evitent accuratiùs. Quodsi aliquando doctrinæ Evangelicæ eos adesse contigerit, quid inde emolumenti capiunt? utinam saltem novarum non sumerent noxarum materiem! cùm equidem perversis animum aliunde præventum habeant sentimentis, non in simplicitate atque rectitudine cordis ad verba Cœlestis doctrinæ (quemadmodum illa excipi amant) attendunt, sed evanido arrogantiæ vento afflati suam sinceris voluntatis divinæ interpretibus scientiam dotesque præponunt, dicta eorum sinistrè accipiunt, subsannant, irrident, cavillantur. Ipsi sibi dum videntur esse Doctores, sunt seductores. Laudari volunt non doceri; excusari in peccandi licentia, non perturbari suasione pœnitentiæ, secuti Regem Achab de Michæa Propheta inquientem: (i) *Ego odi eum, quia non*

(i) 3 Reg. 22.

non prophetat mihi bonum sed malum. Audiunt Concionantes ut judices, non quod dicitur facturi, sed num eleganter dictum sit, judicaturi. Instant Principis tenebrarum machinationes & insidiæ, quas ille nullis aliis tendit vel plures vel acriores, quam iis, qui sincerè eam rem administrant, quæ plurimas animas ejus subtrahit tyrannidi & Regis gloriæ subjicit ditioni. Verùm non est cur subitò animum despondeat fidelis Christi Legatus. Dominus est, (l) *qui dat verbum evangelisantibus virtute multa.* Ille de suo corroborat humanam infirmitatem, ut par sit, quin superior evadat quibusvis persecutionum procellis. Eapropter sacrosancta Synodus Tridentina decernit (m) *Curent Episcopi, ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus vel aliàs calumniosè vexetur, justamve de eis conquerendi occasionem habeat.*

V. *Charitas erga Deum & proximum* in Concionatore emineat. Ex hac namque oritur ardentissimus pro honore Dei zelus, flagrantissimumque salutis humanæ desiderium, quod sui officii basis est & fundamentum. Suspiciat hic iterum Ecclesiastes veram Evangelicæ prædicationis normam Paulum Apostolum, & consideret, quomodo is, nunc exultat, ubi doctrinam suam in neo-conversis Gentibus florere advertit; quemadmodum

(l) *Psal.* 67. (m) *Sess.* 5. c. 2 *de Refor.*

Philip. 2. *quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi, sed etsi immoler supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis*; jam nimis contristatur, atque adeò vehementi dolore excruciatur, ubi Discipulos suos ab Evangelica simplicitate desciviſſe intellexit; quemadmodum 2. Cor. 2. *nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas - - - ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Quid deinde, quid sibi volunt verba illa, (n) *Omnia sustineo propter electos, ut ipsi salutem consequantur?* tum (o) *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos?* an non lucutentiſſima sunt flagrantiſſimi, quo in Dei gloriam propagandam, hominumque salutem procurandam, ferebatur, ardoris testimonia? atque istud, ut mihi quidem videtur, charitatis in Paulo studium perfecerat, ut tam copiosa meſſis suam Evangelii seminationem fuerit consecuta. Quisquis ergo aliquem prædicationis fructum (nam similem dicere non audeo) reportare satagit, Ipsum in amore Dei, & sibi concrediti gregis imitetur. Hic enimverò affectus præstat; ut negligantur ea, quæ aures magis tinnitu verborum oblectant, quàm mentes erudiunt, hic ad persuadendum rationum momenta suggerit, ad permovendum vim & acri-

(n) 2. Tim. 2. (o) 2. Cor. 9:

acrimoniam addit, ad perorandum pro dignitate rerum vocem, vultum, gestum, vehementiam suppeditat, paucis complectar, totum sermonem quasi prophetico quodam spiritu ita animat, ut populus majus aliquid & supra hominis facultatem atque naturam latere, ibique *Dei digitum* esse sentiat. Cujus rei cognitio humana pectora vehementer concutit, cùm Deum humano ore loqui, ipsosque ad se compellare intelligant. Nefas proin existimant illi non parere, eum non sequi, virtutes non amplecti, scelera non vitare. En sermonis cum charitate conjuncti fructus uberrimos!

VI. *Auctoritas* Doctorem legis Evangelicæ multùm ornat & juvat. Sicut equidem amor (de quo immediatè) ita & auctoritas docilem ac flexibilem reddit auditorem; ille enim efficit, ut libenter, citraque tædium auscultet; hæc, ut quæ explanantur, vera esse credat. Hujusmodi verò auctoriras virtute est non fuco paranda. Aliis quidem auctoritatem conciliat ipsa corporis proceritas, vultus majestas, generis claritas, honorum tituli &c. verùm *D. Paulus* è rebus instiusmodi externis quempiam æstimantes objurgat; tum quòd ea modò observent, quæ oculos feriunt; tum quòd ii, qui ex hisce rebus hominem magni faciunt, è diversis contemnant. Quemadmodùm Crux Christi etiam in-

intimos offendit Diſcipulos, & Pauli vincula multis fuêre ſcandalo. Unica hinc ætas excipienda venit, quæ jure meritò media deligenda eſt. Juventus enim negligitur velut imperita rerum ; decrepita quoque ſenectus deſpicitur, tanquam moroſa. Quanquam nec præmaturæ, nec provectæ ætatis homines à ſacro pulpitó arcendi viderentur, ſi retenta utrique ætate naturam abinvicem commutârint, nimirum ſi juvenis venerandam ſenis gravitatem, ſenex circumſpectam juvenis lenitatem induerit. Huc quadrat illud Apoſtoli. (p) *Nemo adoleſcientiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Nihilominus D. Greg. exclamat : *Videant, quos à prædicationis officio ætas vel imperfectio prohibet, & tamen præcipitatio movet, ne dum intempeſtivè arripiunt, quod non valent, perdant illud, quod tempeſtivè aliquoties implere poſſent.* Eidem ſententiæ ſubſcribit S. Hieronymus, adductô etiam exemplô Chriſti. (q) *Nequaquam* inquit *debent homines in ætate infima prædicare, quià juxta rationis uſum ſermo doctrinæ non ſuppetit niſi in perfecta ætate. Redemptor noſter cùm Cæli ſit Conditor & Angelorum Doctor ante tricennale tempus in terra Magiſter noluit fieri hominum, ut videlicet præcipitatis vim ſaluberrimi timoris infunderet, cùm ipſe etiam,*

(p) 1. Tim. 4. (q) in Ezechiel. Hom. 2.

etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfectâ ætate prædicaret. Sanè si Legatos Principum graves ut plurimum Personas cernimus, si civilia Reipub: negotia non cuivis indiscriminatim committuntur, si non cuilibet permissum est in Senatum (qui à senio nomen obtinet) prodire, ibique verba facere, si olim ex infinita propemodum turba eligebatur unus idoneus, qui suggestum conscenderet: quantò potiori jure hic honor, hæc reverentia, hic delectus, verbi Divini eloquio debetur? Æquius profectò huc referendum censeo, quod Lucilium de profano Præceptore monuit Seneca. *Eum elige Doctorem, quem magis admireris cùm videris, quam cùm audieris.* Sed est alia potior magisque Ecclesiastæ necessaria auctoritas, quæ (ut initiò dixi) virtute parta conservataque fuerit. Ad hoc autem duplici viâ pervenitur. 1. Si diligenter evitentur ea, quæ ordinariè contemptum parere consueverunt. 2. Si hæc præseferantur, quæ vulgus suspicit atque reveretur. *Primi generis* sunt: luxus, temulentia, libido, somnolentia, inepta loquacitas, nimia familiaritas, vanitas, inconstantia, adulatio, levium vulgariumque rerum admiratio, ad mensas divitum accubitus, ludorum theatralium cæterorumque spectaculorum etiam fortuito incidentium curiosa observatio, cum prostitutæ famæ u-

trius-

triusque sexus Personis commercium, nisi fortè spes eas convertendi affulgeat. &c. *Secundi generis* sunt: sobrietas, temperantia, pudicitia, vigilantia, sermo parcus ac sale conditus, in moribus gravitas, in habitu honestas, in dictis veritas, in promissis fides, in secretis silentium, constantia, modestia, frugalitas, cum honestis conversatio &c.

VII. *Diligentia in concinnandis iis, quæ pro concione dicenda assumuntur;* qua in materia R. P. Hochenleutner sic discurrit: (r) *Nullus debet esse negligens in suo talento, etiamsi prædicet in aliquo pago & coram simplicibus; quia ubique considerandus est respectus officii: & quamvis populus errantem aut hæsitantem vel timidè perorantem, aut negligentem in instructione Prædicatorem non valeat corrigere, sentit tamen errorem - - - Interea sit prædicatori pro solatio, quòd non debeat semper (supposito labore) contristari, si modicus fructus sit in laboribus; Deus enim habet sua tempora & occasiones in quibus largitur gratias, & pax recedit super illum, qui non potuit facere Filios pacis, nec Deus requirit rationem de fructu laboris sed de labore. Optimè nos consolatur S. Chrysostomus* (s) Si vis imbrium effusa in agrum præfocârit sementem, cogitur agricola vacuis manibus abire Domum: Nostra verò, cùm loquimur & exhortamur, non est eadem conditio. Imò si semen

(r) p: 1. *Resl:* 5. *n.* 45. (s) Conç. 1. de *Lazaro.*

ſemen per te factum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati conſilii mercedem feres à à Deo, nec minus accipies præmii non auditus, quàm accepturus eras, ſi ille obtemperâſſet. Quod erat in te, præſtitiſti. Cæterum ad id ut perſuadeamus auditoribus, non ſumus obſtricti, ſed tantùm ut admoneamus. Noſtræ quidem partes ſunt admonere, illorum verò obtemperare. Hactenus ille.

Q. An igitur nihil unquam in Cathedra proferre licebit, præterquam quod in charta conſcriptum memoriæque mandatum fuerit?

R. Id quidem conſultiſſimum eſſe; nam ſermo memoriæ fideliter commiſſus habet ſtylum magis purgatum, & vix aliquando elabetur vocula, quæ ſuo pondere ſit deſtituta. Secus impoſſibile videtur ſemper verbis eſſe intentum, quæ proferenda ſunt, et tamen loqui ex magno fervore et zelo. Imò periculum ſubeſt, ne eadem repetantur, una probatio longiùs diducatur, aut certè bona Syntaxis et ſenſus deficiat. Meditandum omnino erit in Cathedra ei, qui illam conſcendit non exactè paratus. Inde diſcurſus fiet languidus, tædiumque potiùs quàm fructum in Auditore pariet. E contra dum populus advertit Prædicatorem ad cor ex corde loqui, non tantum ad verba & Phraſes attendit, quæ purè de-

deserviunt lingvæ, sed ad sententias etiam rationumque momenta, itàque facilius persuasus manet. Licet igitur non desint, qui hunc laborem à Neo-Prædicatoribus duntaxat saltem ad decursum primorum quatuor annorum suscipiendum arbitrentur, in progressu verò sufficere putent, si dicendorum series in charta annotetur, elocutio autem utpote usu comparata & promtè ocurrens volubilitati linguæ ac sermonis contextui relinquatur: tamen primi nominis Ecclesiastæ integras conciones ad scripturam redigere, aptissima epitheta seligere, & benè voces collocare non gravantur. Quorum quantò durior opera est, tantò fructus consequitur copiosior. Illorum certè judicium nemo probaverit, qui tanta servitute singulis verbis sunt addicti, ut si intra dicendum illud non occurrat, jam substistere cogantur. Nullus itaque dixerit: cras è sacris rostris sum verba facturus, nescio quid loquar? adhuc non cogitavi &c. *Vel* ego uno die, intra unicam aut aliquot horas sacrum sermonem composui & publicè ex ambone pronuntiavi; nam ubi gloriam venari exambit, ipse in se culpam conjicit, justaque reprehensione dignum se esse confitetur. Nihil equidem magnum puncto temporis confici potest. Fungi intra noctem crescunt.

Q. Quan-

Q. Quantum recitandæ concioni temporis spatium sit insumendum?

R. Cùm triplex sit Oratoris officium: docere, delectare & movere; omnibus his citiùs quàm intra horæ decursum Ecclesiastes exactè fungi nequit, nisi aut verè sapientes ac religionis amantissimos è statu præsertim spirituali; aut rudissimam plebeculam simulationis atque subtilitatis expertem, de se credulam rectique tenacem alloquatur; tunc enim docendo poterit non immorari, potiùs eò vires suas conferet, ut valeat flectere movendo.

VIII. *Pacis & Concordiæ studium* Dispensatoris Dei (libenter enim verbis Apostoli (t) utor) operam reddit magis fructuosam, ad quod servandum sic eum hortatur mox laudatus Hochenleutner. (u) *Si plures prædicant in una Civitate, illos revereatur & eorum auctoritati nullo verbo deroget: sunt sæpenumerò præsertim Prædicatores juvenes, qui falsæ eruditionis aut sanctimoniæ opinione inflati ad captandam multitudinis gratiam alios contemnunt, aut verbis mordacibus publicè insectantur; hoc ubi aliquando Collegæ resciunt, mox & ipsi impigrè laborant, ut aut pares aut superiores habeantur, ex quo sequitur scandalum auditorum, & perditur subinde ingens fructus.*

(t) Tit. 1: (u) p. 2. Resl. 15. n. 114.

Q. Eccui & quando verbum Dei ſpargendum incumbit ?

℞. Generatim omnibus curâ animarum obſtrictis ſingulîs diebûs Dominicîs & feſtis juxta deciſionem Conciliorum ; Lemovicenſis : (x) *omnes ſacerdotes, quibus Parochia commiſſa eſt, omnibus Dominicis & Feſtis diebus admonere prædicando populum debent ſecundum illud : Argue, obſecra, increpa : quia Sacerdos ſi ſine prædicationis ſonitu incedit, interminatione divina mortis reus eſt :* & Tridentini.(y)Quod tamen permittit, ut per alios viros idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, officium . iſtud exequantur. *Nullus autem ſæcularis, ſive regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.* Trident. (z)

Q. Quid præterea D. Thomas in Eccleſiaſte requirit ?

R. 1. Ut nemo propria auctoritate prædicare audeat. (a) *Dicendum,* inquit, *quòd nullus quantumcunque ſcientiæ magnæ vel quantumcunque ſanctitatis, niſi miſſus à Deo vel à Prælato prædicare poteſt.* 2. ne dona præcipuè ab uſurariis recipiant, niſi congrua ſuſtentatio excuſet. *Ibidem Art. 29.*

§. III.

(x) *Annô 1031. paulo ante finem.*
(y) *Seſs. 5. c. 2. de Refor:*
(z) *Seſs. 24. c. 4. de Refor.*
(a) *Quodlib. 12. q: 18. a. 28.*

§. III.

De ſacri Oratoris dignitate, Officio, fine & mediis ad illum conducentibus.

Q. Quæ quantaque eſt ſacri Oratoris dignitas?

R. Longè ampliſſima peneque Divina, quæ ex quadruplici capite deducitur: 1. *ab Autore ſuæ functionis* ſummæ excellentiæ nempe Deo glorioſiſſimo, qui Moyſen primumque Sacerdotem Aaronem mittens ad Regem Ægypti pro liberando populo electo peroraturos cæleſti eloquentia imbuit (b) *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron Frater tuus erit Propheta tuus. Tu loquêris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquatur ad Pharaonem, ut dimittat Filios Iſraël.* Unde S. Aug. allatis ad Rhetorica præcepta è Sacra Scriptura exemplis ſubjungit (c) *Neque enim hæc humana induſtriâ compoſita, ſed divina mente ſunt fuſa & ſapienter & eloquenter, non intentâ in eloquentiam ſapientiâ ſed à ſapientia non recedente eloquentia,* & paulò infrà de præceptis Artis Oratoriæ inquit: *Quid mirum, ſi & in iſtis* (ſacrarum literarum ſcripto-

 ri-

(b) Exodi 7. (c) L. 4: de doctr. Chriſtiana.

ribus) *inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia?* (*vid.* §. 1. *de. Orig. Rhetoricæ*) 2. *Ministris dignissimis*, quibus hoc officium à Deo fuerat demandatum. Hi autem exstitêre Prophetæ omnes, S. Joannes Bap. & (quo nihil pro dignitate Ecclesiastæ afferri potest præstantius) ipse humanæ salutis Assertor per se munus hoc obire dignatus est, teste Apostolo (*d*) *multifariam multîsque modîs olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et ipse Magister profitetur: *Ego*(*e*) *palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo.* Quod etiam Discipulis suis dedit in mandatis (*f*) *euntes docete.* Ab his jam inde ad Episcopos sanctissimos Apostolorum successores potestas prædicandi verbum Dei est devoluta, quibus primò soli licuit spirituali pastu pusillum etiamnum gregem reficere. Quamobrem S. Hieronymus vir aliàs disertissimus, quia Presbyter tantùm erat, non Episcopus, concionandi usum non habuit. In Ecclesia Africana usque ad tempora S. Augustini hæc consuetudo viguit, donec Valerius Episcopus Hipponensis natione Græcus in Latino sermone minus expeditus præfatum Sanctum Patrem sibi Coadjutorem adsciverit, eiqne (*g*) utpote elo-

(*d*) *Heb.* 1. (*e*) *Joan.* 18. (*f*) *Matt.* 28.
(*g*) *Possidius in vita Aug. c.* 5:

eloquentiſſimo etiam ſe præſente in Eccleſia verba facere non denegaverit, aliis Epiſcopis id ægrè ferentibus. Cæterum quoniam idem mos in Orientalibus quoque Eccleſiis jam ante invaluit, proinde & in Africa creſcente fidelium numero Præſules aliis poſt S. Auguſtinum Presbyteris indulſere, ut populo Evangelii dogmata explicarent. 3. *à meritò*. Equidem hoc miniſterium dignè tractantes & in præſenti vita inſigni à Deo honore afficiuntur, dum illos iisdem ac ſe ipſum nominibus compellat; nam *Joan.* 8. de ſe dicit: *Ego ſum lux mundi.* *Matt.* verò 5. eodem titulo ſuos dignatur Diſcipulos, omnesque, qui vice eorum fideliter funguntur: *vos eſtis lux mundi*; & in futuro ſæculo (*b*) *mercedem copioſam appromittit*: coronam hoc eſt Doctoralem; (*i*) *& in capitibus eorum coronæ aureæ.* 4. ab officio & fine certè honorificentiſſimis, ut patebit ex his, quæ ſequuntur.

Q. Quod eſt officium ſacri Oratoris?

℟. Ex S. Aug. *ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat*; alias ita loqui, ut audiatur *intelligenter, libenter, obedienter.*

Q. Quem ſibi finem Orator Eccleſiaſticus debet proponere?

℟. Dei gloriam & ſalutem animarum. Quapropter turpe omnino ſacroque Oratore

(*b*) *Matt:* 5. (*i*) *Apocal:* 4. (*l*) *L.* 4. *de doct. Xtian:*

prorſus indignum eſt, intendere ut os populi mereatur, Auditori placeat, communem ſibi æſtimationem conciliet, ut ſui nominis fama longè latèque reſonet, id, quod ſi quis de induſtriâ aſſequi conabitur, mehercle non aſſequetur. Is namque omnem opem atque operam in hoc collocabit, ut quam ſubtiliſſimas tractet materias, exquiſitiſſimum verborum ac figurarum adhibeat delectum, in actione ipſa confictas quasdam geſticulationes ſibi adſciſcat. Quorum primum, ipſum obſcurum ac tædioſum, alterum affectatum, tertium etiam ridiculum reddet. Quod ſi quis egregiis ac tanto muneri paribus à Deo & natura ſit cumulatus dotibus, meminerit tamen, ſe non ſuarum, aſt divinarum laudum præconem pulpitum conſcendiſſe, atque identidem ſibi in memoriam revocet illud Apoſtoli (m) *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? – ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* curetque ut cum eodem dicere poſſit: (n) *Non nosmetipſos prædicamus, ſed Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nos autem ſervos veſtros per Jeſum.* Enimverò malum hoc quantò difficilius eſt ad evitandum, ſi quidem juxta Ciceronem: (o) *Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quisque maximè gloria ducitur. Ipſi illi Philoſophi etiam in illis libris, quos de contemnen-*

(m) 1. Cor. 4. (n) 2. Cor. 4. (o) Pro Archia Poët.

temnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se, ac nominari volunt; tantò perniciosius. Cùm enim eorum, quæ ad finem aliquem ordinantur, ratio omnis ex fine sumenda sit, contingit hoc perperam constituto, omnia ordine, ratione, meritoque, privari. Tanto ut se periculo incaustus non exponat Concionator, majus Divinæ gloriæ incrementum, animarumque pretiosissimo Salvatoris nostri sanguine redemptarum salutem suæ prædicationis scopum præfigat, est necesse. Cætera autem, id est inanis gloriolæ umbra etiam invito ipsi adjicietur.

Q. Quotuplex est finis cujuslibet artis?

℞. Duplex: intrinsecus seu proximus, ut confectio armorum: & extrinsecus seu remotus, ut eorundem usus.

Q. Quis est finis Ecclesiastæ *intrinsecus*?

℞. Est oratio apta ad persuadendum ea, quæ sunt sui officii. Et hunc semper consequitur, si Rhetoricæ præcepta observaverit.

Q. Quis est finis ejusdem *extrinsecus*?

℞. Est assensio animi, & voluntatis in auditore adhæsio iis, quæ sibi suadentur. Et istum non semper consequitur, quia non est in ipsius potestate, sicut non est in potestate Medici, ut semper sanetur æger.

Q. Quibûs mediis obtinet orator finem intrinsecum?

R. Docendo argumentis, quod est necessitatis; delectando apto dicendi genere, quod est suavitatis; & movendo amplificatione seu affectibus, quod est victoriæ.

Q. Quibus mediis utendum est Ecclesiastæ, ut extrinsecum quoque finem assequi possit?

R. Specialis Numinis altissimi gratia (p) *in cujus manu est cor Regis, quocunque voluerit, inclinabit illud*) enixis illi precibus est imploranda. Nec piis duntaxat suspiriis instandum, sed bonis etiam operibus erit urgendum. Duplex autem est bonorum operum genus. *Alterum* in corporis exercitatione (q) (ut verbo Apostoli utar) situm est; *alterum* animam afficit. Ad illud spectant: jejunare, humi cubitare, cilicium deferre, se flagellare, æstus ac frigora æquô animô tolerare, insomnes noctes ducere &c. Ad posterius revocantur: vanam gloriam contemnere, ignominiam patienter ferre, injurias condonare, pro malo bonum rependere &c. Quæ ñ Ecclesiastæ modò, sed cuivis Christiano conducũt. Juvabit insuper unum pluresve sibi Patronos eligere, quorum patrocinio peculiariter sese devoveat, quatenus eorum opem semper habeat præsentissimam. Id autem præstabit pro ratione loci, urbis, aut Ecclesiæ

(p) *Proverb.* 21. (q) 1 *Tim.* 4.

clesiæ, in quibus hanc functionem exercet, tum pro ratione temporis, festivitatis &c. Omni tamen loco & tempori congruet tutela Virginis Deiparæ Mariæ Sanctorum omnium Reginæ, & S. Joannis Nepomuceni, Angelorumque Custodum nempe: sui, Auditorum & Ecclesiæ, ubi prædicat.

§ IV.
De Præsidiis parandæ Eloquentiæ Ecclesiasticæ.

Q. Quot & quæ sunt præsidia comparandæ Eloquentiæ Ecclesiasticæ?

R. Quatuor ista: Natura, Ars, Exercitatio, & Imitatio.

Q. Quid confert ad Eloquentiam Natura?

R. Dona duplicia; animi & corporis. *Dona animi* sunt quidam ingenii motus in excogitando acuti, in disponendo prudentes, in explicando uberes, in memorando firmi ac diuturni. *Dona corporis* sunt: lingua soluta, vox suavis & sonora, latera firma, valetudo, gestus, ac modesta vultûs totiusque corporis compositio. Hinc metiri licet, quanta vis Oratoris à naturæ pendet suffragio, ut *Cicero* effari non dubitârit *Rhetoricam aut citò, aut nunquam disci.*

Q. Quid confert ars ad Eloquentiam?

R. Certis præceptis naturæ dotes perficit, vitia aliquomodo, quæ corrigi possunt, emendat. Quemadmodum de eximio oratore Demosthene narrat Tullius (r) quòd cùm ita balbus esset, ut ipsius Rhetoricæ primam literam *R.* efferre non posset, industriâ perfecit, ut planissimè eandem pronuntiaret. Tribuit præterea ars aptitudinem ad judicandum de eloquentium Virorum dictis scriptisve, & facilitatem ad nos iisdem conformandos.

Q. Quid confert ad Eloquentiam Exercitatio?

R. Auget & conservat ea, quæ ars in natura expolivit. Hanc in omni disciplina summopere esse necessariam constat ex verbis Cic. (s) *Nec Medici, nec Imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu & Exercitatione consequi possunt.*

Q. In quo consistit Exercitatio?

R. In Lectione, meditatione, scriptione, auscultatione, & actione.

Q. Quid facto opus est, ut lectio sit fructuosa?

R. Servanda sunt sequentia: 1. ut sit *Autorum probatissimorum* in suâ arte excellentium & quasi principum; ajunt enim non multum

(r) *L. 1. de orat. n. 260.* (s) *L: 1. de Officiis.*

tum legendum esse, sed multa. 2. ut sit *ordinata*; nam lectio certa prodest, varia delectat. 3. ut omnes dicendi figuræ, sententiæ, peculiares cujuscunque idiomatis loquendi modi seu phrases, & quidquid postremò ad inveniendi, disponendi & eloquendi rationem pertinet, diligenter investigetur, nisi quis non profectûs, sed curiositatis gratiâ legere velit. 4. utile admodum, quin Tironibus omninò necessarium est, alio sermone scripta in alium tam accuratè transferre, ut verba verbis, sententiæ sententiis ex æquo respondeant. Hac methodo se processisse Tullius profitetur (t) *postea mihi placuit eoque sum usus Adolescens, ut summorum Oratorum Græcas Orationes explicarem, quibûs lectis hoc assequebar, ut cum ea, quæ legerem Græcè, Latine redderem, non solùm optimis verbis uterer, & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova nostris essent, dummodo essent idonea.* Eandem tradit Plinius Fusco suo: (u) *utile in primis & multi præcipiunt vel ex Græco in Latinum, vel ex Latino vertere in Græcum. Quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia Figurarum, vis explicandi. Præterea - - - quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc & judicium acquiritur.* 5. alterius scripta legenda ut tua; & sic

(t) L. 1. de orat. n. 155. (u) L. 7. ep. 9.

sic non eris censor acerbus, & tuâ ut alterius, ne nimium tibi blandiaris. 6. Solitudo & tempus antelucanum multum ad lectionem conferunt. Quocirca gloriatur Propheta (x) *erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum.* Et (y) Sapientia ad sui amplexum invitat: *ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, invenient me.* Profectò quantum voluptatis æquè ac utilitatis ex matutina vigilia capiatur, is solùm sentit, qui experitur.

Q. Qui ergo Libri Ecclesiasticæ eloquentiæ Candidato sunt revolvendi?

℞. Hos melioris causâ discriminis ad tres *Classes* revoco: in prima collocando illos, qui materiam; in secunda, qui formam sive stylum; in tertia qui utrumque simul futuro Prædicatori suppeditare nati sunt. Quæ divisio non ita in rigore est accipienda, ut non plerique primi secundique ordinis saltem quibusdam in locis ad tertium referri queant. Ad *imam* itaque Classem reducuntur: *Scriptura Sacra*, quæ fons est inexhaustus ad vitia profliganda ac Dei hostes debellandos; quam proinde ab incunabulis statim terat Sacer orator, perditumque diem putet, quo non unum alterumve caput relegerit. Maximè verò Prophetia *Isaiæ*, *Ieremiæ*, *Ezechielis*, *Danielis*, & D. *Pauli* Epistolæ usui esse possunt

(x) *Isaiæ 50.* (y) *Proverb. 8.*

possunt Evangelicis Doctoribus; quòd hi Libri sint fæcundiores, & vehementiores in exagitandis pravis hominum moribus & informandis bonis. Suppeditabunt exempla propè innumera Libri Historici: *Moysis, Judicum, Regum, Machabæorum &c.* Ad confirmanda fidei nostræ dogmata solidissimum præbebunt argumentum Evangelia. *Concordantiæ Bibliorum* omnibus hisce libris subserviunt. Consulantur non raró Theologi Scholastici & Morales, quos inter primas obtinet *S. Thomas* Doctor Angelicus, cujus cùm cætera opera magno usui Concionatori esse possunt, tum præcipuè si de vitiis aut virtutibus pertractandum erit? *1ma 2dæ;* si adversus peccata peccatique malitiam insurgendum? *idem Tomus;* si de vita Salvatoris nostri discurrendum; *3tia pars;* si literæ intelligentia quærenda? *catena aurea in Evangelia;* si locus sacræ scripturæ obscurior examinandus? *Commentaria* in complures utriusque Testamenti libros; si denique partitiones earumque è scripturis aut SS. Patribus probationem eruere velis? *Sermones* pro Dominicis diebus & Sanctorum solemnitatibus in Bibliotheca Vaticana reperti, primùmque prælo commissi Venetiis A. D. 1593 mirum in modum juvabunt. Adde scripturæ, quæ sæpe obscurior est, interpretes, præter SS. Patres, de quibus infra: *Cornelium à*

Lapi-

Lapide, *Hugonem à S. Victore*, *Originem*, *Bedam*, *Abulensem*, *Nicolaum de Lyra*, *Dyonisium Carthusianum*, *Theodoretum*, *Theophilactum*, Regulas intelligendi scripturas sacras *Francisci Ruyz*. Ex Recentioribus universæ scripturæ vel saltem potissimæ sensum explicuerunt: *Thomas de Vio* Cardinalis Ord. S. Dominici, dictus *Cajetanus* ab Urbe *Cajeta*, cui præsedit Episcopus. *Augustinus Calmet* Ord. S. Benedicti, Vir de literis & Ecclesia optimè meritus, edito Commentario Literali cum eruditis Dissertationibus in universam Scripturam celeberrimus, qui præterea Dictionarium Generale Sacræ Scripturæ Historico-Criticum gravi labore singularique industriâ coëgit; *Jacobus Tirinus*, *Stephanus Menochius* &c. *Particulatim* verò ad usum Prædicatorum Evangelia interpretati sunt: *Alphonsus Salmeron*, *Joannes Maldonatus*, *Cornelius Jansenius*, *Sebastianus Barradius*, *Sylveira* &c. Psalmos enucleavit Card. *Bellarminus*, *Thomas Le Blanc* Soc. Jesu. Ethicas commentationes in Genesim & Cantica Canticorum dedit *Joannes Paulus Oliva*. Denique *Cæsar Calini* acta Biblica Historicis, Theologicis ac Scripturisticis declarationibus Italicè editis illustravit, quod opus exstat Germanicè, nondum quod sciam, Latinè. Non modicum sacro Oratori pro apparatu conferet lectio operum Asceticorum, cujusmodi sunt: S.

Lau-

Laurentii Justiniani, S. *Francisci Salesii*, Cardinalis *Bellarmini*, *Ludovici Granatensis*, *Ludovici de Ponte*, *Jeremiæ Drexelii*, *Alphonsi Rodriquez* &c. item Cardinalis *de Richeliu* Liber de Christiana perfectione. *Surin* Dialogi ascetici &c. Eò tandem deservient, qui pro singulis anni diebus Meditationes conscripserunt; ut: *Crasset*, *Croiset*, *Nepuen*, *De la Neuville*, *Grossecz* &c. aut sacra exercitia luci publicæ dederunt; qualia apud Polonos ingenti animarum fructu volvuntur Latinâ & nostrate linguâ edita, usui Alumnorum Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani accommodata, operâ M. CASIMIRI STĘPLOWSKI in Universitate Cracoviensi S. T. D. ac interea Rectoris; aut denique Lectiones sacras vulgaverunt; ut: *Novet*, *Cataneo* &c. Plura videantur in locis concionatoriis (x).

In *secunda* Classe reponendi: *Demosthenes*, Atheniensis; & *M. T. Cicero* Romanæ Principes Eloquentiæ, *Seneca*, Panegyricus *Plinii* Trajano dictus, cæterique Oratores profani. *Tertiam componunt* principe reponenda loco (ni explicatio rei hunc ordinem exigeret) illustria Ecclesiæ lumina SS. DD. & PP. tam Græci quàm Latini, quorum aliquos facundiâ celebratiores per seriem antiquitatis accipe, ut sequuntur: *Cyprianus*, *Hila-*

(x) L. 2. c. 1. a. 3.

Hilarius, *Ambrosius*, *Gregorius Nazan: Hieronymus*, *Basilius*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Leo Pap. I. Greg. Pap. I. Bernardus*, *Bonaventura* &c.

His adjungere licet *Tertulianum*, qui omnes enumeratos vestutate præivit. Accedunt permulti diversarum Nationum atque Ordidinum Concionatores antiquiores unà ac recentiores, quos omnes recensendo persequi esset infinitum. Visum tamen est nonnullos per suas Patrias distinctos sacrô eloquiô commendatissimos Tironibus ad notitiam fortè & imitationem proponere.

I. Ex *Italis* latinitate donata sunt opera sermonum Cardinalis *Mariæ Cassini* ex Ordine Capucinorum, *Pauli Segneri* Soc. Jesu. *Joannis Pauli Olivæ* &c.

II. Ex *Gallis* à vi & vehementia detonandi commendatur P. *Diligendes*: à suavitate animis Auditorum sese insinuandi P. *Castillon*: à fluiditate copiaque dicendi *Le Boux* Petrogoriensis Antistes: à patheticis motibus Præsul Aginensis *Claudius Joli*: In panegyricis excellit *Spiritus Flechier* Episcopus Nemausiensis, & *Franciscus Senault* Congregationis Oratorii Jesu Præpositus Generalis. Verùm isti cæterique Polono Tironi Gallici sermonis, quo scripti sunt, ignaro nulli usui esse poterunt. Damnum istud, qui volet, resarcire utcunque valebit aliorum ejusdem Gen-

Gentis Concionatorum operibus, quæ publicæ utilitati consulentes Viri Latina, quædam & Polonica fecere. Hujusmodi sunt conciones *Ludovici Bourdaloue*, *Caroli de la Rue*, P. *Texier*. *Zacharias Laselve* è Provincia Tolosana Ord. Recollectorum S. Francisci in Anno Apostolico elegantes tam Dominicis, quam festis diebus accommodat partitiones, licet in earum amplificatione ciendisque affectibus parumper langueat.

III. Ex Germanis propius jam ad nostri genium sæculi *Josephus Ignatius Claus* Parochus in Oberdorff spicilegium Concionatorium duobus tomis comprehendit. Qui etiam Honorarias conciones in Festa Domini, Beatæ Virginis & Sanctorum edidit, sed linguâ Theutonicâ. Latini exstant sermones *Petri Carlii* in Dominicas totius anni.

In *Bavaria Franciscus Xaverius Dorn* Decanus Fridbergensis *Diurnale Concionatorium* quinque tomulis est complexus, usui Parochorum ruri degentium profuturum.

IV. Ex *Hispanis* antiquioribus invenies Latinè editos sermones sacros: *Ildephonsi Giron* Ord: Præd. *Joannis de Carthagena* Ord: Minor: de Observ. *Christophori Avendagni* Ord: G. V. M. de Monte Carmelo, qui fuit Regi à concionibus.

Ex *Arragonia* nanciscêris *Thomam de Trugillo* Præsentatum Ord: Præd.

V. Ex *Lusitanis* latinè exstantibus memora-

tur à dicendi vehementia *Josephus de Barzia* Episcopus Gaditanus in Excitatore Christiano & Manuductione: à rerum subtilitate *Antonius Vieira* Soc. Jesu, ab earundem copia *Philippus Diez* Ord: Min. Reg. Obsev.

VI. Ex *Sicilia* leges Petrum Jeremiam Parnormitanum &c.

VII. Ex *Polonis* tandem, si vel istos, quorum notitiam habere possum, diversarum ætatum, statuum, atque Ordinum cunctos memorare vellem, longissima essent serie percensendi. Non ergo est animus, sicut nec opportunitas, omnes, qui in Bibliothecis passim asservantur, convenienti ordine distinctim referre, ubi præstantissimas Archi-Episcoporum; ut: *STANISLAI KARNKOWSCII* Gnesnensis, &c. Episcoporum; ut *ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZAŁUSCII*, dum Kijoviensi & Plocensi Diœcesib9 præesset, postremùm Varmien: *MARTINI BIAŁOBRZESCII* Camenec: *Głos Pasterski*, *Illmi GEORGII HILCHEN*, Smolensc: *&c.* Abbatum; ut *MICHAELIS ANTONII HACKI* Abbatis Monasterii B.M.V. de Oliva S. Ord. Cisterciensis, &c. Archi-Presbyterorum; ut *Hieronymi Povodovii* Cracoviensis, ejusdemque Canonici Posnaniensis, cæterorumque Prælatorum sacras conciones reperire est: at nonnullos duntaxat pace reliquorum proferam, quorum opera sunt frequentiora, aut vulgò circumferuntur, ut

ex Academicis: M. *Stanislai Makovii* Ecclesiæ Cathedralis in Arce Cracoviensi Concionatoris; M. *Martini Winkler* Cathedralium Cracoviensium Canonicorum, Sacræ Theologiæ Doctorum: M. *Sebastiani Piskorski* Cathedralis Cracoviensis Canonici, Doctoris; & M. *Clementis Hercii* Licentiati Juris Utriusque: M. *Ignatii Hercii*, itidem Ecclesiæ Cathedralis in Arce Cracoviensi Concionatoris, Philosophiæ Doctoris, ejusdemque *Regii* Professoris; M. *Stanislai Socołovii* Serenissimi STEPHANI Regis, Theologi & Concionatoris eximii, quemadmodum testis est *BOLOGNETUS* Legatus GREGORII XIII. in Poloniam, qui ad Italos scribens hæc verba exaravit: *Tria vidi mirabilia in Polonia: STEPHANUM Regem sapientissimum, ZAMOSCIUM Cancellarium prudentissimum, & SOCOŁOVIUM Concionatorem prope Divinum.* refert *Joannes Zrzenczycki* Nobilis Polonus in Libro inscripto: *Wielkie á podziwienia godne Cudo.* Singuli hactenus enumerati, & multi alii, quorum ulteriore catalogo protrahendo supersedeo, varias in Universitate Cracoviensi Artes ac scientias profitebantur. Jam sequuntur alii: *Simon Starowolski* Cantor Tarnoviensis, *Hyacinthus Liberius* Præpositus Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, *Michael Gorczynscius* ejusdem Ordinis; *Stanislaus à Łowicz* Sacræ Theolo-

giæ Doctor, in Enchiridio tractans de Immaculata Conceptione B. V. M. Ex Ord. Canon: Regular. Custodum Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani, Reverendissimus *Florianus Buydecki*, Sacræ Theologiæ Doctor, ejusdem Ord. Præpositus Generalis, in opere: *CHWAŁA Nayświętszego GROBU CHRYSTUSOWEGO.* *Joannnes Kwiatkiewicz* Ord. S. Benedicti. *Andreas Karp* Professus Claræ Tumbæ, Sacræ Theologiæ Doctor Ord. Cisterciensis. *Joannes Evang. Gawłowicz* Theologus Emin: RADZIEIOVII S. R. E. Cardinalis, Orator percelebris, *Fabianus Birkowski* Concion: Reg. *Cyprianus Sapecki*, *Severinus Roxolan* Sacræ Theologiæ Doctores, *Dominicus Frydrychowicz* Concionator Reg. & Theologus, singuli S. Ord: Præd. &c. *Ignatius Gorzeński* Philosophiæ Doctor, Ord. S. Pauli primi Eremitæ; *Chrysostomus Gołembiowski* Ord. Eremitarum S. Augustini, JOANNIS III. Regis Concionator; A.R.P. *Stanislaus Szczepanowski* Custos Provinciæ, Ord. S. Francisci Convent: *Petrus Skarga* primùm Academicus, *Jacobus Wuiek*, *Alexander Lorencowic* Provincialis, *Gaspar] Balsam* &c. Soc: JESU. *Onuphrius à SSmo Sacramento* Ord. SSmæ Trinitt: de Redempt: Captiv. *Samuel à S. Floriano*, *Ægidius à S. Josepho*, *Franciscus à S. Josepho* &c. Schol. Piar. *Petrus Posnaniensis*, *Antonius Stephanowicz* &c. Ord. S. Francisci Min: de Observ: *Nicolaus à Spi-*

ritu S.Carmel:Discalc: *Franciscus Rychłowski*, *Antonius Węgrzynowicz* &c.Ord:S.Franc:Reform: uterque per Min. Pol. Provincialis.

Q. Quò pactò ex lectione quorumvis librorum proficiendum?

R. Oportet singulariora quæque excerpere, apum instar, quæ flores ad mel faciendum idoneos carpunt, ac postea per favos distribuunt. Id, quod à summis Viris factitatum legimus: *Plinius Senior* vel inter cœnandū libros prælegi & notatu digniora excerpi curabat. De *Juniore* verò quod memoriæ posterorum proditum est, admirationem meretur: nempe quòd in ipso terræ motu sub dio *Livium* in adversaria referret. Profectò (z) judice Drexelio nec *Augustinus*, *Hieronymus*, *Bernardus*, *Thomas Aquinas*, cœterique Viri eruditione ac virtute celeberrimi, tantâ scribere potuissent sine adjumento excerptorum.

Q. Quid emolumenti confert legentibus usus excerpendi?

R. Juvat imprimis lectionis *attentionem* & *intelligentiam*. Nam quæ sæpe obiter legeremus, ea diligentiùs perpendimus, ut non temerè in adversaria conjiciantur. Prodest deinde *memoriæ*: quæ enim exscribuntur fideliùs mente retinentur. Tandem excerpta compendiosæ cujusdam *Bibliothecæ* locò sunt annotantibus, ingenti eorundem commodo.

(z) *Aurifod.* p. 1. c. 7.

Q. Quænam sunt leges ab excerpentibus servandæ?

℞. Excerpendum est 1. *maturè*, idest, quam primùm lectioni librorum vacare incipimus; eò namq; copiosior instruetur supellex, quò maturiùs cœpta diutiùs continuabitur. 2. *prudenter*, id est, non quævis obvia, trita & decantata extemplo in notas referantur (nisi fortè Autorem & locum, ubi leguntur pro opportunitate temporis reservatum ceu viliorem monetam inter nummos in thesauro deponere velis) sed graviora solùm, rariora & insolita sunt seligenda. Quanquam malim Tironem in hoc vitium incidisse, ut minuta etiam, quàm nulla annotet. 3. *Assiduè*, id est, ut quamvis lectionem sua consequatur adnotatio. Teste equidem *Plinio* nullus liber adeò inutilis est, ut nulla ex parte prodesse valeat. Imò non lecta modò, verùm audita quoque, visa, quin cogitata in chartas conjicere & eruditi suadent, & utilissimum esse propria unumquemque experientia edocebit. 4. *non in cassum*, id est, ut excerpta sæpius relegantur, mente revolvantur, quò faciliùs materiæ cuidā applicanda occurrāt.

Q. Quot sunt Methodi excerpendi?

℞. Quinque *Amadaus*, plures tradit *Drexelius*, ex omnibus quinque istas judico commodissimas:

I. *Codicum* vel *Classium* fit hoc modô: comparen-

parentur tres codices, quorum uni Lemmata, alteri adverſaria, tertio Hiſtorica inſcribantur. *Lemmata* vocat Drexelius, quidquid præter Hiſtoriam tam ſtrictim adnotatur, ut *Autor* duntaxat libri, *caput pagina* &c. indicetur; additis voculis: hìc *breviter*, iſte *fusè*, ille *eleganter*, ut inde notum habeas, quis qua ratione ſcripſerit, & quis tibi hic & nunc ſit opportunior. Huc referes virtutes, vitia, & alia à familiari colloquio non remota. In *adverſaria* inſcribendum, quidquid præter hiſtoriam aliquantò prolixiùs tractatur additô ſimiliter *Autore, libro, capite* &c. Eò ſpectant antiquitatis monumenta, ritus veterum, Gentium mores, leges, epitaphia, deſcriptiones illuſtriores, ſententiæ, partitiones, argumentationes &c. *Hiſtorica* appellantur, ubi hiſtoriæ ſive exempla *Autoris* nomine, *libro, capite*, &c. appoſitis deſcribuntur.

II. Methodus (ut ajunt) *alphabetica*, dum ſingulæ paginæ vocibus inſignioribus, *alphabeti* ordine diſpoſitis, Polyantheæ in modum diſtinguuntur, ut: *Abſtinentia, Adoleſcentia, Baptiſmus, Beatitudo, Charitas, Chriſtus &c.*

III. Methodus eſt *Epitome*, dum lecti alicujus libri artificioſum quoddam compendium ſummam rerum notabilium perſtringens conficitur. Lipſienſes & Trivoltien-

ſes

ses hujusmodi compendiis eorundem criticen magnô Reipub. Literariæ bonô adjungunt.

IV. Methodum *oratoriam* jure dicas, in qua nedum materia, ast artificium quoque observatur. Ad *materiam* pertinent res, quæ in discursum sacri Oratoris cadere possunt, quales lectio Scripturæ Divinæ, Conciliorum, SS. Patrum, Historiæ Ecclesiasticæ, Theologiæ, cœterorumque locorum Concionatoribus propriorum suppeditabit. Ad *artificium* spectant, quæcunq; artem Rhetoricam respiciunt, conferuntque vel ad *Inventionem*, ut Concionum themata, partitiones, argumenta &c. vel ad *Dispositionem*, quemadmodùm partium orationis observatio, *v. g.* Exordii forma, partitionis apta distributio, Confirmationis nervus, epilogi amplificatio, affectuum motus, &c. vel ad *Elocutionem* si spectetur genus styli, verborum delectus, sententiarum gravitas, Figurarum vis atque ornatus, Transitionum nexus, Periodorum concinnitas &c. Atq; hanc excerpendi rationem Ecclesiastico non minus quàm Civili Oratori apprimè conducere, palàm est.

V. Methodo nomen *Symbolarum* indidit *Drexelius* (*a.*) quæ propria est Ecclesiastæ. Procedendum in ea sic: 1. conficiantur tot qua-

(*a*) *Aurifod.* [illegible]. 3. c. 11.

quaterniones, quot *Dominici* ac pro varietate regionum *Festi* dies intra anni decursum celebrantur; in *Polonia* centum circiter. Tum si rem ordiri placet ab *Adventu Domini*, primo quaternioni inscribatur *Dominica I.* alteri *Dominica II.* tertio *III.* &c. Idem præstandum in Festis. 2. oportet perspecta habere totius anni Evangelia, quid rei contineant, quò promtius, dum quidpiam inter legendum occurrerit, suum in locum referre possis. 3. referenda autem sunt (ut jam monui) non illa modò quæ leguntur, sed etiam quæ audiuntur, videntur, in mentem veniunt, aut per propriam experientiam explorata habentur, dummodo sint talia, quæ pro Concione convenienter dici queant. Enumeratas quinq; excerpendi methodos, quin aliquas illarum cuiq; eloquentiæ candidato abundè sufficere existimaverim, qui plures vel alias exiget, legat memoratam *Drexelii Aurifodinam*, & *Alexandrum Fichetum* de modo excerpendi. Si quis autem nulla utetur, is meâ quidem sententiâ, oleum & operam perdet, quod posthac seriò fortasse, at serò nimis dolebit.

Q. Sufficitne quàm plurima legere?

R. Qui multa legit & parum meditatur, similis est ei, qui multa comedit, sed malè

conco-

concoquit. Prudens igitur Lector lecta secum tacitus repetet, mente discutiet, singulariora firmiùs memoriæ imprimet, vel etiam secundum dicta adnotabit; quando iisdem vel similibus aut contrariis uti possit, diligentiùs expendet. Orationis contextum, in exprimendo energiam, verborum pondus, periodorum concinnitatem, commotionem affectuum, totum denique artificium penitiùs rimabitur.

Q. Num scriptio quoque proderit?

R. Ut nihil magis. Audiatur S. Aug: (*b.*) *Ego ipse*, inquit, *multa, quæ nesciebam, scribendo me didicisse confiteor.* Idem affirmat Tullius: *Nulla res tantum ad discendum profuit, quantum scriptio.*

Q. Quâ ratione instituenda scriptio?

R. Præplacet modus exercitii in scribendo, quem tradit Plinius Fusco, ut eandem rem, idemque argumentum, quod in Autore relegisti, marte proprio exponere tentes, tum scripta tua cum lectis conferas, seduloque advertas, quid tu, quid ille commodiùs. *Magna gratulatio, si nonulla, tum magnus pudor, si cuncta ille meliùs.* Quod duplici ratione præstari potest. 1. Si eodem idiomate, quo Autor scribit, & tu perlecta verbis tuis reddas. 2. Si priùs in alium sermonem verteris, deinde ex hoc in illum, quo

(*b.*) *In Prologo Lib. 2. de Trinit.*

quo Autor ſcribit, omnem movendo lapidem, ut ipſum in vi expreſſionis quàm proximè aſſequaris. *Audax hæc non tamen improba, quia ſecreta contentio: quanquam multos videmus ejuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumpſiſſe, quoſque ſubſequi ſatis habebant, dum non deſperant, anteceſſiſſe.* ait Plinius. Hoc ut melius ſuccedat, non pudeat neq; nos pigeat primum ſcripta emendare, adjiciendo quæ fugerant, detrahendo quæ exuberant, & immutando, quæ non quadrant. Id facilè recognoſcemus, ſi ea, quæ primo calore effudimus, interjectâ morâ ſæpius reguſtemus, & tanquam aliena ut cenſores legamus.

Q. Quis ordo in ſcribenda oratione ſacra ſervandus?

R. Idem, qui in profana, nimirum: 1. Licèt utriuſque orationis *Exordium* ſit primum (phraſi Philoſophorum utar) *in executione*, ultimum tamen eſſe debet *in intentione*. Natura quidem Exordii poſcit, ut primò in ſcripturam redigatur, primoque pronuntietur; dum tamen nuda totiùs ſermonis formatur idea, præ omnibus mente conſtituendum eſt *thema*, vulgò *propoſitio*, tum *partitiones*, invenienda ſubin *argumenta* &c. quibûs delectîs ab ipſo orationis corpore ſive *partibus Confirmationis* ſtructuram concionis peritiſſimi, quique Oratores

reſte

teste P. *Kaprinai* hic, aggrediuntur, procedendo usque ad *Epilogum*, tandem ipsum ultimo scribunt *Exordium*. Experti hoc ordine laborem construendæ dictionis multum allevari. 2. priusquam Tiro integræ concioni fabricandæ manum admoverit, in partibus primò ut *Descriptione aliqua*, *loco Rhetorico*, *affectu*, *exemplo Biblico* Oratorie deducendo sese exerceat, ductô à levioribus initiô, Pictorum more, qui caput, manus, pedes seorsim pingunt, antequam integræ effingendæ imagini penicillum applicent.

Q. Quî auscultando capi possit emolumentum?

R. Profuerit non modicùm Oratorem Novitium frequenter adesse sermonibus concionantium, audita meminisse, & (si forte hæc adsit commoditas) alteri præceptorum Rhetorices gnaro recitare, non ad verbum (neminem quippe inveneris tam felicis memoriæ) sed ad sensum, argumenta &c. procedendo per partes orationis: *Exordium* quàm aptè sit sumptum, *Divisio* quàm inusitata & accommoda, *Probationes* quam convincentes, quæ objici poterant, quàm scitè dissoluta, locus Sacræ Scripturæ quàm accuratè, clarè & ad propositum convenienter explanatus &c. trutinando. Hæc ab Adolescente excipiens Vir cordatus, poterit

terit eidem indicare, si quid Concionatori minus aptum exciderit, citra tamen contemptum Personæ. Indicanda sunt errata, sed Civili excusatione mitiganda. Quanquam autem illos potissimùm audiendos suaserim, qui in dicendo communi approbatione excellunt, non oberit tamen etiam minus doctè, aptè aut feliciter prædicantibus attentam aurem præbere, quo magis appareat, quid deceat, quid non, quid arripiendum, quid fugiendum sit; opposita enim penes se posita magis elucescunt. Auscultationem plurimum juvare eloquentiæ candidatos D. Aug. (*c.*) tali evincit argumentô: *si ex consuetudine loquentium fiunt homines loquentes, cur ex consuetudine eloquentium non fiant eloquentes?* Caveat tamen Tiro, ne nimia alterius in vocis præcipuè tono & actionis motu imitatione affectatus evadat.

Q. Quid *Actionis* nomine venit?

R. Usus è rostris declamandi quà privatè exercitii gratiâ, quamdiu in pulpitum per ætatem vel capacitatem ascendere fas non est, servando illud: *disce domi, qualis debeas esse foris;* quà identidem ad populum breves exhortationes edisserendo, quarum pro diversa locorum consuetudine non rarô sese offert occasio, præsertim tempore Quadragesimæ.

Q. Quis

(c.) *Lib. 4. de Doctr. Christ.*

Q. Quis fructus ex hac dicendi exercitatione capitur?

R. Illa præstat, quòd Orator novitius si vocis inflexionem & gestuum moderationem præmeditetur, ita tandem iis assuescat, ut deinceps ex tempore præclarè dicere valeat. Quod non postrema est Oratoris virtus. Quare nonnullos concionandi munus aggressos à peritioribus se instrui curâsse, imò quemdam sui ævi, qui postea eximius Orator evaserat, in speculo gestus suos solitum fuisse examinare refert P. *Kaprinai.* (*d*)

Q. Quid confert ad eloquentiam Imitatio, & in quo quispiam est imitandus?

R. Ita nos informat, ut optimo cuique Oratori similes in dicendo evadamus. Sed præprimis oportet nôsse se ipsum, suas vires ac dispositiones naturales ponderare, tum quæ illas non excedere videbuntur, hæc assequi enitendum. Neque enim singula ista, quæ in aliis probamus atque admiramur, imitari valemus. Sic *v. g.* frustra aliquis stylum diffusum ac periodicum, aut in dicendo vehementiam ac incitationem alterius imitari conetur, si firmum sibi pectus, faciles ad respirandum pulmones, vox clara & sonora à natura non sit provisa. Inveniuntur nihilominus in præstantissimis qui-

(*d.*) *Lib.* 1. c. 3. *a.* 4. §. 2.

quibusvis Prædicatoribus nonnulla communia, quæ cuilibet absque talentorum discrimine observatu sunt necessaria, ut: bene eligere materias sermonum spiritualium, illasque rectè ex Evangelio depromere, inventa aptè disponere &c. Dum ergo Oratorem quempiam tibi ad imitandum proposueris, id *universè* considera, quid ille dicat vel scribat, quod tuo vel auditorum animo arrideat, mentem convincat, cor permoveat? cùmque ejusmodi aliquid acciderit, adverte: quo artificio fuerit tractatum? ut quando occasio feret, tu quoque idem simili dicendi apparatu auditoribus tuis inspires, parem eorum animis vim illaturus. *Speciatim* verò observa Inventionem ac Dispositionem *propositionis*, *partitionum*, *argumentorum* & *affectuum*, ordiendi rationem, modos amplificandi, elocutionis puritatem, proprietatem verborum, phrasium elegantiam, ordinem vocum in sententiis, sententiarum in periodis, periodorum in Oratione, Troporum ac Figurarum ornatum &c. Verùm enimvero istud comparandæ eloquentiæ Adjumentum à plerisque magno ipsorum ac Oratoriæ facultatis damno negligitur, quos acerbè arguit Plinius Jun. *Lib. 8. ep. ad Avitum. Statim*, inquit, *sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque*

ipsi sibi exempla sunt. Certè qui bonorum imitationi Autorum student, non tam facile in errores, ineptias, stylique vitia delabuntur.

Q. Quemnam sacer Orator sibi imitandum debeat proponere?

R. Siquidem (ut ante distinxi) duo sunt ad scribendam concionem requisita: *Materia* nempe sive *eruditio*, & *forma*, sive *stylus*; ratione *primi* licebit plures maximè ex supra laudatis SS. Patribus in exemplum assumere, è quibus rerum ad religionem vitamque, ac mores Christianorum informãdos pertinentium notitiam, soliditatem atque copiam cum incredibili ingenii vi & acumine conjunctam Ecclesiastes hauriat: ratione *alteriùs* unum eumque absolutissimum initiò præsertim eloquentiæ candidato cum peritissimis artis Rhetoricæ Magistris censeo esse imitandum. Cùm enim Tironum ingenia plerumque sint infirmiora, nec sufficienti polleant judicio ad discernendam styli varietatem, fors multorum Autorum lectione vitia combiberent. Consultissimum ergo videtur, ut ex uno principe Oratore genuinum eloquentiæ candorem exsugant. Postquam verò salubriori (ut ita loquar) succo fuerint imbuti, poterunt ad plures alios propter virtutum ac vitiorum styli observationem di-

verte-

vertere, ſemper tamen ad principem illum, quem ſibi ſectandum propoſuerant, redituri. Ita præſtantiſſimi fecere Oratorum. Cicero Demoſthenem, Cyprianus Tertulianum, (quem Magiſtrum vocitabat) Ambroſius Origenem, Chryſoſtomus Paulum potiſſimùm revolvebant.

Q. Ecquis igitur ille eſt numeris omnibus abſolutus Orator à Tirone ad imitandum aſſumendus?

R. *M. Tullius Cicero.* Neque id meo quidem judicio, ſed ſummorum Virorum teſtimonio nixus audeo affirmare. Quinctilianus ait, eum donô quodam providentiæ genitum, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Verùm ne fortè ſuſpecta ſit laus à Latino profecta, è Græcis ipſis *Apollonius* Ciceronem perorantem audiens exclamavit: *Te o Cicero laudo & admiror; tui o Græcia miſereor, cùm videam ea ſola ornamenta, quæ nobis reliquiſti: doctrinam & eloquentiam per Ciceronem ad Romanos magno cum incremento transfuſas.* Fabius item obſervat in Cicer: reperiri vim *Demoſthenis*, copiam *Platonis*, jucunditatem *Iſocratis*, *Lyſiæ* ſubtilitatem, acumen *Hyperidis*, *Æſchinis* ſonum, lenitatem *Lælii*, gravitatemque *Africani*. *Atque ita præcedentium temporum gloriam ſuperavit, & futurorum excitavit imitationem: tantò e-*

nim melior quìſque nunc, & præſtantior habetur Orator, non quo ſuperet aut æquet (quod ſperare fas non eſt) ſed quò proximiùs ad Ciceronem accedat. Rhetores Galli in Palatio Reginæ eloquentiæ (e) probant, *qui Ciceronianus non ſit, eloquentem eſſe neminem.* Denique D. Hieronymus ſcribit in quadam Epiſtola hoc Tullii exſtare elogium: *Demoſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus Orator, tu illi, ne eſſet ſolus.* Jure itaque Tironibus vulgò præcipitur, quatenus *alios Autores legant ut Cenſores, ſolum Ciceronem ut Diſcipuli.*

Q. Nonne cuivis Eccleſiaſtæ verborum patrii ſermonis copia eſt neceſſaria, quæ ex Cicerone haberi poterit neutiquam?

℟. Hac jam aliunde ſupponitur eſſe inſtructus, nimirum vel per converſationem cum hominibus in dicendo politiſſimis, vel ex diverſi generis librorum lectione eam conquiſivit. Sin minus, condiſcere illam adhuc poterit ex monumentis Prædicatorum vernaculè in lucem prodeuntibus, quæ utique legere nihil vetat, ubi Tiro Tullianos dicendi characteres ita perſpectos habuerit, ut non facilè ab illis deflectere, quin alterius ſtyli erroribus cautior evadere poſſit.

Q. Quî fieri poterit ut Oratorem forenſes dun-

(e.) *Exercit. 1. lect. 3. pun. 2. de Imita.*

duntaxat causas agitantem in divinarum rerum explicatione sequamur?

℞. Argumentorum, quæ ab Academico & Ecclesiastico Oratore tractantur, differentia minimè prohibet, quominus scribendi & componendi ratio similis vel eadem esse queat. Quamobrem teste P. *Kaprinai* (*f*) Multi profanos veteres æquè ac recentiores legunt Oratores, ut si quid imitatione dignum seu in rebus seu in artificio repererint, illud bellè sacrum in argumentum traducant. *Novi* (inquit Vincentius (g) Houdri:) *eruditissimum quendam virum, ac supra ætatem doctissimum, qui, ut concionandi ministerio sese præpararet, Ciceroni studebat, cumque illi objecissem:* Ecclesiasti*cis argumentis nihil esse commune cum iis, quæ à præstantissimo hoc Oratore pertractantur, reddidit ille: at hìc rectum sensum admiror ubique nitentem, video: quomodo rem suam prosequatur, ubi causæ difficultas posita sit, statim deprehendat, iis omnibus occurrat, quæ sibi objici posse prænoscit: quomodo rationes enucleet, atque aliter aliterque efferat, donec tandem audientium animos pervadat. Hoc imitandum mihi propono & hoc mihi erit utiliùs, quàm magnificus aliorum sermo, qui in hoc uno totam positam putant eloquentiam.* An verò tot aliquorum SS. Patrum

(f) *Lib. 1. a 5. §. 1.*
(g) *in Biblioth. Prolego. 2.*

Homiliæ Ciceroniano ſtylo exaratæ non ſatis ſuperque probant formam dicendi forenſem cum materia dictionis ſacræ optimè conciliari poſſe? Oratio Aurelii Lippi *de Paſſione Domini* in UniverſitateCracovienſi Nobiliſſimæ Juventuti quotannîs prælegi ſolita nonne redivivum ſpirat Ciceronem? aliæ multæ multorum Virorum ut *Lejaji, Chiaberge, Lagomarſini* cæterorumque præcipuè Gallorum ſacræ orationes nonne id ipſum meridiana luce clariùs demonſtrant? Patebit hocce cum ex plurimis ipſiuſmet *Tullii* exemplis, quæ inter alia è SS. Patribus deſumpta ſuîs inſerui locîs, maximè talia, quæ vel præceptiones Rhetoricas mirificè illuſtrant, vel doctrinam aliquam ad mores inſtituendos continent, vel certe alicui Concionatoris uſui futura viſa ſunt; tum ex aliquibus ad imitationem ejus efformatis.

Q. Nonne novimus D. Hieronymum dirîs plagîs vapulâſſe, quod *Ciceronianus* eſſet non *Chriſtianus?*

℞. Quamvis idem S. Pater ad Rufinum ſcribens hoc fuiſſe ſomnium dicat, nihilominus eſto revera accidiſſet, non tamen propterea, quòd Ciceronem in dicendi genere ſequeretur, ſed quòd ita ſe ejus ſtudio addixerit, ut ſacrarum literarum lectionem ob inculti ſermonis faſtidium penitus neglexiſſet.

Q.

Q. Quô pactô imitandus Cicero?

R. Hujus rei normam porrigit *P. Gabriel Franciscus Le Iay* in arte Rhetorica ad Tullianam rationem exacta, perstringendo in præfatione nonnullorum vitia in eo obrepentia, & præscribendo aliquot regulas imitaturo observandas.

Alii quippe nihil ferè præter verba & aliquos elocutionis modos, quos vulgò phrases vocant, ex ejus lectione adnotant, quos ubi frequentiùs ceu quosdam flosculos orationi suæ etiam minus ad rem insperserint, jam se egregios Tullii imitatores evasisse gloriantur. Atque hoc Iuvenibus præsertim & Tironibus familiare est.

Alii verborum & elocutionis apparatu prætermissô sensa duntaxat verbis subjecta consectantur. Quod doctioribus usuvenire solet.

Cæteri tandem communes diligentius observant locos, quos dein alteri argumento valeant accommodare. Quæ exercitatio licet utilissima sit, nondum tamen perfectam imitandi Ciceronis artem assequitur, quæ in his præsertim tribus consistit: 1. ut particulas membra cum membris, periodos cum periodis, tum partes orationis inter se ad invicem connectentes observemus, quas nostræ applicare licet dictioni. 2. ut hoc ipsum quodammodo occultetur, ne statim oculos aures-

resque verberet, si quid fortè in conficienda periodo è Cicerone mutuatus fueris, expedit assumere unam aliquam Ciceronianam periodum, cujus nexus quidam vinciendæ orationi congrui, non omnes subripiantur. Quanquam huic satis provisum esse reor per differentiam linguarum, cum Latinis ab ipso usurpatis periodorum copulis vernaculas quisque Concionator cogatur substituere. 3. ut cælestis eloquentiæ candidatus, visô, in quo Causarum genere suam exercitationem scripturus est, in eodem genere causæ Tullianam orationem consulat; etenim varia plerumque sunt pro varietate causarum orationis vincula, esto inveniantur apud eundem aliæ satis multæ sermonis commissuræ cuivis generi inservientes. Sic *v. g.* si aliquam in particulari virtutem aut omnes in communi amplectendas suasurus est (similiter de vitiorum dissuasione censendum) legenda erit oratio pro *lege Manilia*. Si alicujus sancti encomia deprædicanda, vel illustris cujuspiam Viri recèns vita functi promerita funebri proloquio cohonestanda; revolvet orationem *generis Demonstrativi* pro *M. Marcello*. quæ C. Cæsaris, aut illud punctum pro *lege Manilia*, quod Pompeji laudes complectitur. Ad extremum si acrius in obduratos peccatores invehi necesse habebit, imitetur ali-

quam

quam ex Verrinis, Catilinariis, Philippicis &c. Ita fiet, ut profana eloquentia ancilletur ſacræ, virtuſque Tullianæ facundiæ è foro in templum translata ſaluti ſerviat animarum. Quare haud levi fundamento fretus P. *Franciſcus* (h) *Neumayr* in Eccleſia Cethedrali Auguſtæ Vind. Polemicus Orator judicat poſſe aliquem opus utiliſſimum edere, cui titulus foret *Cicero ſacer*, atque omnes vel ſaltem præcipuas ejus orationes ad concionis meteriam traducere, ut ſicut ipſe in *Genere Demonſtrativo* laudat probum, vituperat improbum: in *Iudiciali* defendit innocentem, accuſat reum: in *Deliberativo* ſuadet bona, diſſuadet mala: ita tu commendes virtutem, vitia reprehendas; propugnes dogmata, arguas hominum mores: ſuadeas virtutis amorem, diſſuadeas peccatorum patrationem.

Q. Quotuplex eſt Imitatio?

R. Triplex: verborum, ſententiarum & rerum. Imitatio *verborum* eſt, cum quibuſdam verbis immutatis, reliquîs iisdem cum Autore ad noſtram ſententiam efferendam utimur. *Bona* eſt propter incipientes; quia captu facilis. Talis erit, ſi exordium Catilinariæ primæ in peccatorem ad non retardandam pænitentiam ſtimulandum intorſeris ſic: *Quouſque tandem abutère Peccator* pa-

(h) *In viro Apoſtolico p. 3. c. 1. a. 1. §. 3.*

patientia Divina? quamdiu hanc etiam licentia ista tua eludet? quem ad finem sese inveterata jactabit impietas? nihilne Te improvisæ mortis pericula, nihil remorsus conscientiæ, nihil timor Dei vindicis, nihil exempla proborum omnium, nihil horrendissimus expiandorum scelerum locus, nihil infernalium habitatorum spectra larvæque permovent?

Imitatio sententiarum seu *loci communis* est, cùm idem sensus variis modis exponitur, puta, si oratio numeris adstricta in solutam vel è contra vertatur, aut manente eodem orationis genere sensus per diversas figuras & Periodos transformetur. Hæc est *melior*; quia plus de arte & ingenio participat. Talis erit, si illam Horatii Lib. 1. epist. ad Numi: sententiam:

Oderunt peccare boni virtutis amore.

exponas oratoriè ad exemplum Periodi Ciceron. pro Rabirio perduelli n. 1. s. v. s. *Etsi Catholici non sit prorsus damnanda flagitiorum fuga metu temporalium aut æternarum pænarum extorta: propterea, quòd maximo animam nostram bono amicitiâ nempe sive gratiâ Divinâ spoliari non sinat: tamen id ipsum ex mero Dei virtutisque amore optimo cuique præstare lubet; propterea, quòd illud servile quiddam, hoc longè liberalissimum, liberoque dignissimum esse videatur.*

Imitatio rerum est, cùm ejus, quem imitamur,

In-

Inventionem, Dispositionem, aut Elocutionem totius orationis, vel notabilis ejus partis, v. g. Exordii, Narrationis. &c. aut argumenti in re simili vel dispari exprimimus. Ita Cicero Demosthenem, Virgilius Homerum magna cum laude persæpe sunt imitati. Hæc est *optima;* quia tota in imitantis industria sita est. Talis erit, si Exord. Cic. pro *Dejotaro* applices Passioni Dominicæ, dicendo Te maximè commoveri quatuor ob causas: *1mo* quòd non sine intimo doloris sensu videas hominem Deum in crucem actum, quem non ita pridem tota Civitas venerabatur. *2do* quòd ingratus Discipulus Iudas Magistrum suum vesanæ Iudæorum rabiei prodiderit. *3tio* quod Pater æternus ad tanta scelera clementissimè conniveat, & non potiùs fulmina jaciat. *4to* quòd prodigiis obscurati solis, terræ motûs, &c. perfida Gens ab immanissimo laniatu minimè deterreatur.

℥. Quænam vitia in imitando obrepunt?

℟. I. Plerique uni certo Autori tantopere adhærent, ut sua repudiando, ex illius ore loqui velint; sententias ferè omnes, modos loquendi illi familiares ac proprios, partitiones, figuras, voces insuper singulas de ipsius scriptis depromendo, & aliquando non naturaliter, sed quasi vi ac violenter ad suam tractationem detorquendo, quod est

est gravis servitus, & signum indigentiæ ingenii. Tales imitatores vulgò *plagiarii* appellantur; *plagium* autem est vitium doctis omnibus detestandum.

II. Alii locos communes hînc inde membratim congerunt, è quibus *centonem* veriùs male consuunt, quàm orationem adornant.

III. Nonnulli unum alterumve sermonem alicujus Concionatoris lectum aut auditum pro exemplari omnium sibi statuunt, nulla generis *causarum* aut *dicendi* ratione habita, cùm tamen longum sit inter hæc discrimen.

IV. Denique multi dum ab aliis fusè prolata contrahunt, aut breviùs tractata dilatant, alienos *conceptus* inani verborum farragine ita obruunt, ut vix agnosci possint, aut certè omne acumen tollitur, & prior suavitas orationi prorsus adimitur. Ciceronis hac in re opus est judicio, qui aliorum sententias tam scitè suis noverat adaptare argumentis, ut venustatem semper vel retinuerit, si eam habebant; vel addiderit, si carebant.

Q. Postquam Tiro Tulliana dicendi ratione imbutus fuerit, quomodo SS. Patres, Ascetas, Oratores sacros, aliosque supra memoratos imitabitur, dum propius ad prædicationis munus accedet?

℞.

℟. Præter hactenus dicta de *Imitatione*, quæ passim utrique Oratori sunt communia, adjungo X. alias Methodos Ecclesiastæ magis proprias, quæ Concionatorem novitium multum poterunt adjuvare ad componendam orationem sacram nostræ præsertim ætatis genio accommodatam:

I. *Methodus*. Relegatur homilia aut sermo Sancti alicujus Ecclesiæ Patris e.c. Basilii, Chrysostomi, Augustini, Bernardi, vel aliorum. Doctrinam ibi repertam super assumpto ex Evangelio vel aliunde textu ad certa summa capita reduc, quæ erunt totidem partitiones. Istas rationibus ibidem allatis confirma tanquam tuis. Quod si velis habere ab auctoritate argumentum, ejusdem S. Patris verba alleges. Totum hoc ubi amplificaveris, atque è locis Rhetoricis à Simili, Contrario &c. exornaveris, habebis concionem tuam de penu alterius depromptam. Sic D. Basilii sermonem de non *differendo baptismate* commodè transferre poteris ad *pœnitentiam non procrastinandam*, probè adaptatis, quæ illic inveniuntur, argumentis.

II. *Methodus*. Si ex libris sacrorum exercitiorum vel similibus eruere velis orationem, retine partitiones, quæ in illis plerumque reperiuntur, easque ad artis oratoriæ leges exige. *v.g.* Meditatio prima su-

pra

pra memorati ex Universitate Cracoviensi Autoris non modò tibi suggeret hanc propositionem generalem: *animum induxi Catholici ostendere vobis malitiam peccati mortalis*, sed etiam primum ipsius punctum apertè dabit propositionem particularem istiusmodi: *Malitia peccati mortalis enormis est: 1. quia peccans mortaliter, avertitur à Deo. 2. quia peccans mortaliter, præponit creaturam Deo.* Utraque hac parte per textus sacræ scripturæ, qui ibidem habentur, deducta, per Locos Rhetoricos amplificata, adjectis, si placet, testimoniis SS. Patrum, descendes ad Epilogum, quem ex secundo & tertio ejusdem Meditationis puncto institues, affectum doloris de peccatis mortalibus unquam admissis in Auditore excitando, & ad firmissimum amplius non peccandi propositum stimulando. Quô factô concionem utilissimam ex aliena supellectili facili, negotio confectam tibi gratulaberis.

III. *Methodus*, Perlecta concione celebrioris cujuspiam hujus ævi Oratoris, fac illius *analysim* sive *synopsim*, eum in modum, quô exstant Ciceronis orationes in compendium redactæ. Hanc ad tempus repositam ubi resumpseris, ac marte proprio elaboraveris, tuam fecisti. Breviore via eò perveniet, cui præstò erunt hujusmodi synopsium exempla jam parata in Bibliotheca

Vin-

Vincentii Houdri: in Institutione Concionatoria *Natalis Alexandri:* in Speciminibus sermonum *Abbatis de Bretteville* & alibi.

IV. *Methodus.* Cùm paulo prolixiorem nactus fueris sermonem in duas tresve partes divisum, ac iterum in totidem (ut apud Gallos fieri assolet) subdivisum, assume *v. g.* primam illius partem vel pro libito aliam, quæ generalis propositionis locum obtinebit, membra autem subdivisa principalis vice partitionis fungentur. His textum alium convenientem applica, aptum tribue Exordium & Epilogum, omniaq; verbis tuis eloquere, ex alterius fætu ingenii tui partum efformabis. Res clarior fiat exemplo. P. *Laselve*, de S. *Thoma Aquinate* habet talem Concionis ideam: Ex textu: Joan. 1. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* deducit S. Thomam de plenitudinibus Christi tantum accepisse, ut ipse etiam plenus exstiterit: fuit enim: *1. plenus scientia.* 2. *plenus veritate.* 3. *plenus sanctitate.* en partitionem principalem! Singulas istarum trium partium in totidem subdividit membra. *1mam* sic: Fuit plenus scientia; quia habuit scientiam. 1. *universalem* sine confusione. 2. *profundam* sine vanitate. 3. *utilem* sine interesse. 2*dam* ita: Fuit plenus veritate; nam fuit veritatis 1. *Sponsus;* qui illam possedit. 2. *Magister*, qui illam docuit. 3.

Pro-

Protector, qui illam defendit & tutatus est. 3*tiam*. deniq; partem hac ratione distribuit: Fuit plenus sanctitate; etenim erat Sanctus 1. in *prædicationibus* suis. 2. in *orationibus* suis. 3. in *regularibus exercitiis* suis. Ex tribus his unicæ concionis partibus seorsim sumptis sequendo istam imitationis methodum tres poteris efficere conciones, sive pro Festo ejusdem D. Thomæ, sive aliorum sanctorum præcipuè Doctorum. Ad quarum primam è prima parte conficiendam accommodari posset textus Evangelii pro diebus sanctorum Ecclesiæ Doctorum præstituti: Matt. 5. *Vos estis lux mundi.* Ad alteram ex secunda parte elaborandam applicaretur ex eodem Evangelio textus: *vos estis sal terræ*, vel si quis alius videretur opportunior. Tertiæ tandem concioni ultimam partitionem assumenti aptissimè inserviret textus ejusdem Evangelii: *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Primum istiusmodi sermonem commodè instituere posses die honori S. *Augustini* sacro, asserendo ipsi egregiè quadrare denominationem lucis; siquidem illuminavit Universum scientia: 1. *Universali* sine confusione. 2. *profunda* sine vanitate. 3. *utili* sine interesse. Alterum optimè applicares S. *Stanislao* Episcopo Cracoviensi,

as-

assumpto textu convenienti. Postremum S. *Vincentio Ferrerio*; semper juxta dicta procedendo novaque Exordia & Epilogos adaptando, probationes ex vita uniuscujusque Indigetis, cui laudum panegyres texere in votis tibi est, desumptas amplificando.

V. *Methodus.* Quominus appareat, quem in fabricanda Oratione secutus fueris, juvat non integram partitionem ex autore arripere, verùm è duabus tribusve partibus unam aut alteram deligere. Pariter subdivisionis membra aut singula excogitentur propria, aut saltem uno alterove reservato, cæteris tua subrogentur.

VI. *Methodus.* Sunt, qui textum, partitionem & suppartitionem servant, vel saltem aliis verbis proferunt; argumentis tamen ad confirmanda singula puncta, diversis utuntur: vel si eadem adhibent, argumentationum certè formas immutant, nempe, quod prius Enthymemate comprehensum fuit, in syllogismum deducunt vel è contra &c.

VII. *Methodus.* Plus de industria sua ad elaborandam concionem conferunt ii, qui textui & partitioni alterius Oratoris retentæ novam subdivisionem æquè bonam, cohærentem, aut tempori, loco, vel Personæ magis convenientem assumunt, vel si nullam in Autore inveniunt, ipsi adjiciunt.

VIII.

VIII. *Methodus.* Quibus omnem alterius, dispositæ orationis symmetriam retinere placet, restat, ut textus & exempla mutent. *v.g.* si ille *Davidis* exemplo usus est, utere tu *Josue.* Quod alter è veteri lege comprobavit, tu declara ex Evangelio. Nec desunt, qui duos aut plures autores idem argumentum textumvè explanantes revolvant, atq; ex uno sententias ac Exempla Biblica, ex altero Patrum testimonia, è reliquis similitudines, conceptus, cæteraque ad eruditionem sacram spectantia delibent, quibus inservient Polyantheæ & Bibliothecæ infra in locis concionatoriis referendæ.

IX. *Methodus.* Neque aspernanda sunt superiorum ætatum cujuslibet Nationis Ecclesiastarum opera tanquam nulli adjumento ad moderni temporis gustum concionanti futura. Sunt, qui nôrunt inde proficere, dum ea, quæ ipsi in aliqua concionis parte breviùs, aut in tota minus ad artis elegantiam pertractarunt, diffusiùs atque ad hodiernam dicendi rationem accommodatiùs proferunt. Quod facile quivis efficiet hoc modo: 1. Considera diligenter, quem principalem in eo sermone scopum præfixum habeat ille, quem imitaris, Orator, seu quid ipse dictione sua laudare aut vituperare, suadere aut dissuadere, docere de-

ni-

nique aut hortari potiſſimum intendat? hoc comperto habebis *Propoſitionem generalem.* 2. obſerva, quibus rationibus intentionem ſuam evincere conatur, iſtæ ad certa capita revocatæ dabunt *partitionem* & *Confirmationem.* 3. *Epilogum & Exordium* vel idem retinebis, vel ſi commodiùs videbitur, immutabis. Exemplum ſit è prima. *M. Simonis Stanislai Makowſki* in Univerſitate Cracovienſi Sacræ Theologiæ Profeſſoris, Eccleſiæ Cathedralis in Arce Cracovienſi, Concionatoris, in ſecundam *Adventus* Dominicam Concione, ubi ſcopum dictionis nullô negotiô compertum habebis, utpote qui in fronte cujuslibet ſermonis primo intuitu ſe conſpiciendum offert; nec gravis tibi labor erit ſubeundus in ſumma probationum inveſtiganda, aut certum in ordinem redigenda; cùm utrumque hoc initio paſſim clarè indicetur. Quodſi aliquando lateat, facilè à prudente artiſque perito erui poteſt, uti aſſumptam pro exemplo concionem legenti patebit. Scopus ergo illius eſt hujuſmodi: *Sententia Iudicis Chriſti in extremo judicio contra peccatores ferenda: ite maledicti in ignem æternum, irrevocabilis eſt.* Argumentorum compendium tale. *Quatuor ſunt modi, quibus in humanis judiciis ſententia lata ab executione ſuſpenditur, quorum nullus pro tribunali ſedente Chriſto pecca-*

toribus succedet. Hos modos enumerando & deducendo, atque à judicio Dei removendo memoratus Autor rem conficit. Istam probationum seriem ut juxta modernum usum partiaris tantillum industriæ tibi opus est, nempè ut palàm protesteris te *in prima parte* allaturum quatuor modos à jurisconsultis præscriptos, quibus impediri possit decretum judicis, ne executioni demandetur; *in altera* ostensurum, quòd nullo, ex istis quatuor, modo, sententia Christi Iudicis ab executione suspendi aut revocari poterit. Utramque solidè Scripturæ auctoritate, SS. Patrum testimoniis & rationibus ibidem repertis corroborabis.

X. Tandem Methodus ferè ad ipsos D. Thomæ sermones (quorum jam alibi mentio facta est) imitandos restricta. Quibus si sobriè utatur Ecclesiastes, ad multos sui muneris annos novam semper pro Dominicis diebus, sanctorumque solemnitatibus materiam, divisiones, subdivisiones, scripturæ textus habebit. Quàm enim breves sunt & compendiosi, tam istorum omnium feraces. Præcipuè cùm pro uno die duo ordinariè ex Epistola, tertius ex Evangelio ad finem Tomi XVI. legantur. Verùm ut, quod assero, probem, videat mecum curiosus Lector primum sermonem

pro

pro Dominica I. Adventus Domini ex Epistola Rom. 13. *Dies autem appropinquavit.* Illico vocem *dies* de quadruplici die intelligi posse affirmat. *Quadruplex enim*, inquit, *dies appropinquavit: dies misericordiæ, dies gratiæ, dies justitiæ, & dies gloriæ.* Nonne isthæc partitio in singulas Adventus Dominicas distribui posset? quarum & suppartitiones præsto sunt, ibi -- *Diei natalis Domini* (quæ est misericordiæ) *debemus occurrere cum misericordia & veritate. His duabus viis venit Christus ad nos, & nos debemus ire ad eum* Psal. 24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Sic persequitur ulteriores dies. Profecto si tam præclaris rebus Elocutio & amplificatio accedat, unicus iste sermo, in quatuor Dominicas materiam Prædicatori abunde suppeditabit. Quid secundus? quid tertius? quid tandem quartus ex Evang. Matt. 21. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*; hic singula prope vocabula expendit. Ex voce *Rex* notat *dignitatem* venientis; ex ly *Tibi*, *utilitatem*; ex tò *mansuetus*, *modum* adveniendi. En partitionem tribus concionibus ad tres annos in Dominicam I. suffecturam, aut si uno anno eam tractare placet, adde quartam divisionem huc revocabilem vg. *finem* venientis, habebis quatuor sermones in quatuor Adventus Dominicas. Imo

ex ſola prima parte ab eodem S. Doctore ſubdiviſa poſſent quatuor formari conciones, ſpectat enim ibi Regem (præter alia attributa) ut clementem, ut juſtum, ut terribilem ut æternum. Singulæ iſtæ Dei perfectiones ſingulis Dominicis ſatis utique ad temporis circumſtantiam convenienter explicarentur. Tam eſt fons inexhauſtus diviſionum & ſubdiviſionum Doctor Angelicus in ſuis ſermonibus, ut iſtiuſmodi partitionum in ſacris orationibus uſum non jam Gallis aut Italis penitus inventum ſed reſtitutum potius atque ad novam formam redactum debere videamur, totum autem id primodùm ipſi D. Thomæ in acceptis ſit referendum. Nam in profana eloquentia iſtam dicendi rationem hinc à Tullio fuiſſe uſurpatam cùm è cæteris ipſius orationibus non nimis obſcurè deduci poteſt, tum è *Maniliana*, pro *Muræn.* & *Philipp.* VII. n. 9. plane, evidenter patet.

RE-

RHETORICÆ ECCLESIASTICÆ LIBER I.

De Amplificatione in utroque ſenſu accepta & Affectibus.

QUoniam Amplificatio dupliciter ſumitur: *1mo.* pro dilatatione ſententiarum, è quibus Periodi conficiuntur, & in hac acceptione *vulgaris* à vulgo Tironum ſeſe in ea exercentium nominatur; *2do* pro vi quadam orationis & affectuum concitatione, in qua acceptione *Oratoria* nuncupatur: idcirco ut diſtinctè procedam, Librum hunc in tria diſpertior Capita in Articulos ſubdiviſa.

CAPUT I.

De Amplificatione vulgari ſive dilatatione ſententiæ.

ARTICULUS I.

De natura & modis amplificationis vulgaris.

Q. Quid eſt Amplificatio vulgaris?

R. Eſt fuſior Propoſitionis alicujus vel argumenti explicatio.

Q. Quibus modis brevior ſententia dilatari poſſit?

R.

℞. Sequentibus: si uni substantivo addatur a-
liud competens, quorum alterutrum e
Genitivi casûs *vg.* sit Propositio talis: *P*
catores oderunt Deum, quam amplificatu
Rhetoricæ Candidatus isti voci *Peccato*
addat alterum substantivum *vg. cor*, pri
in Genitivo posito sic: *Peccatorum cord*
utrique substantivo adjiciat Adjectivum
obdurata inveteratorum Peccatorum corda. H
ipsum si placet adhuc fusiùs efferre, p
mum Adjectivum obduratus resolvat in su
stantivum sibi cognatum *durities*, illudq
applicet alicui Adjectivo vel participio
vg. duritie obfirmata; & quia voci *duri*
deest Adjectivum, superaddatur ei *vg. a*
mantina; en prima vox *Peccatores* da
tot vocabula: *Adamantina duritie obfirma*
inveteratorum Peccatorum corda. Progre
atur ad alteram vocem scilicet verbum
derunt, quod si verterit in nomen cogn
tum *odium* additô illi aliô Verbô compe
ti *vg. prosequor* & altero substantivo
malignitas, utrique substantivo si supera
diderit Epithetum; en altera vox *oderu*
dabit tot vocabula: *vehementissima capit*
odii malignitate prosequuntur. Tandem si
nomen *Deum* addiderit alterum substant
vum *Majestas* superadditô utrique Adj
ctivô; en ex tribus dictionibus quàm latu
efficiet sensum: *Adamantina duritie obfirm*

ta

inveteratorum peccatorum corda vehementissima capitalis odii malignitate prosequuntur infinitam Dei Optimi majestatem. Ita vernaculâ quisque linguâ procedet.

Uberrimi diffundendi sensus fontes sunt circumstantiæ isto carmine comprehensæ.

Quis, quid, ubi, quibûs auxiliis, cur,
quomodo, quando.

vg. Maria protegit clientes. (Quis) *Æterni Patris Filia, Filii Mater, Sponsa Spiritus Divinissimi Deipara Maria* (Quid) *quos in gratiosum potentissimæ protectionis suæ recepit sinum devotissimos sibi clientes* (ubi) *in amplissimo hoc mæstissimarum Tragædiarum theatro degentes* (quibus auxiliis) *hos pro ea, qua apud Patrem pollet gratiâ, apud Natum propensione, apud sponsum teneritudine tam securo fovet sub patrocinio* (cur) *ad majus Divinæ gloriæ incrementum, ad merita augenda, maculas peccatorum detergendas, gratiam consequendam, paucis complectar, ad eos omnium bonorum aggregatione cumulandos,* (quomodo) *ut à carnalium æque ac spiritualium hostium insidiis illos liberando, ab inimicorum injuriis strenuè vindicando, ex ipsis propè hiantis erebi faucibus eruendo* (quando) *tandem aliquando post revolutum miserrimæ præsentis sæculi vitæ curriculum in æternarum deliciarum Paradiso constitutos Deo Patri ut Filios Cælo genitos, Nato ut Fratres* Matt. *12. Sponso*

ut

ut per Eum regeneratos insinuet. Cuncta hæc in uno exemplo comprehensa, non semper debent datâ operâ intrudi, sed aliqua pro opportunitate sententiæ eruantur. Nec Adjunctorum ordo in versiculo expressus ita religiose servandus est, ut nequeat permutari; licet enim à particula *vg. ubi* inchoare Amplificationem, non omnino à particula, *Quis &c.*

III. Haud sterilem Amplificationis aperit campum variatio Nominis sive Pronominis per Casus, aut Verbi per tempora & modos *vg. B. Ioannes Cantius in egenos prodigus.* Sic dilatabitur: *Insignis Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ Patronus B. Ioannes Cantius tantæ fuit in egenos sine vitio prodigalitatis, ut omnia sua illorum esse putaret: Illius in esu parcitas, in amictu moderatio pauperum fuêre vectigalia. Illum videre erat in medio rigentis brumæ nudo incedentem pede, posteaquam non observato in omni rigore charitatis se ipsum proximo præponere disponentis ordine inopem calceaverit: illi tunicam, quâ nudum cooperuit, Mater misericordiarum Maria restituit, fortè ut agnosceret, se liberalitate in egenos jam excessisse.*

IV. Protendunt ac illustrant sententiam verba synonyma seu idem significatia in unum locum collata non temere tamen adhibi-

hibita (quod commune est multis, qui laborantes defectu rerum amplificationi servientium, ipsa verbositate sunt contenti, dúmque restagnant flumina orationis, piscium nihil capitur:) sed in re gravi & ita ut posteriora prioribus aliquid lucis afferant, vel plus acrimoniæ contineant. *vg. improbi æternùm puniuntur*, efferes: *impii, scelerati, nefarii mortales semper infernalibus uruntur flammis nunquam comburendi, indesinenti cremantur igne, omnis generis tormentis torquentur, cruciantur, dilaniantur.*

V. Congruunt ampliando & explicando sensui Adverbia aptè nominibus, verbis, aut Participiis, vel sibi ipsis addita: *vg. Vir utcunque justus nihil fert acerbiùs, quàm dum clare videt sacrosanctè servanda supremi Legislatoris præcepta à benè multis persæpe impunè violari.*

VI. Facit etiam ad ampliandam sententiam asseveratio, cùm vel adverbiis, vel nominibus, vel comparativis vel aliis partibus appositis discursum augemus. *vg. Nihil certius esse videtur, quàm &c*, vel *luce, aut sole meridiano clariùs patere intelligo: mirum in modum (me lectio Tullii delectat, dici non potest, quàm sit suavissimus; verbis consequi nequeo, quàm (necessaria Concionatori) sit sacrarum literarum lectio &c.*

VII. Denique propagatur sermo per adjun-

ctio-

ctionem rationis sententiæ propositæ. *vg.* Monitum (i) Apostoli: *Quæ sursum sunt quærite... quæ sursum sunt sapite* Rationem dabis: quia *in terra nihil stabile*, & sic *v.* similiter efferes: *Cùm ea, quæ universo, quà latè patet, terrarum ambitu continentur, fluxa sint & peritura omnia; tum cordatus homo, quisquis erit, consilium Doctoris Gentium amplectetur libentissimè, ut illa sibi meditanda, illa omni virium contentione sectanda proponat, quæ firma nullumque finem habitura Pater cælestis illum diligentibus præparavit.*

ARTICULUS II.

De Fontibus eliciendorum Adjectivorum Substantivis competentium.

Q. Quoniam superiore Articulo affirmavimus diduci sententias per adjectionem substantivis Adjectivorum convenientium, quæritur nunc, unde sunt desumenda?

℟. Ex his præcipuè septem locis. I. à Nominibus propriis Regionum, Urbium, Montium, Fluviorum, Autorum & Inventorum rerum *vg. Gens Hebræa, confusio Babylonica, Calvarianum spectaculum &c.*

II. à dignitate & officio sive nobili sive ignobili & vili, ut *Pontificia auctoritas, Sacerdotalis character, servilis timor &c.*

III. à qualitatibus, propriisque Personarum ac

(i) Coloss. 3.

ac rerum affectionibus *vg. Immaculata Virgo, gemma candidissima.*

IV. Ab effectis, seu rebus præclarè vel perperam gestis *vg. fortissimi Athletæ Martyres, immanissimum crudelitatis portentum Herodes.*

V. Ab habitu corpori adjacente, incessu, concomitatu &c. *vg* Stanislaus Episcopus Pontificali veste amictus, longo Cleri ordine illum præcedente & subsequente, numerosissima fidelium stipatus caterva ad mausoleum Petri militis triennio putrescentis accessit, quem attonitis hisce omnibus ab inferis, ad vitam revocavit.

VI. à Causis, ut *mortalis culpa, exitiosa luxuria,* id est mortem, exitium causans.

VII. Metaphora cæterique Tropi Adjectivorum copiam suggerent abundantius.

CAPUT II.

De Amplificatione Oratoria.

ARTICULUS I.

De natura, Differentia & Divisione Amplificationis oratoria.

Q. Quid est Amplificatio oratoria?

℟. Cum Cic: (k) *est gravior quadam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.*

Q. Quid Amplificationem inter & Argumentationem interest?

℟.

(k) *in Partit:*

℟. Differentiam illarum indicat Orator, ibidem ante dicens: *Amplificatio est vehemens quædam argumentatio, ut illa docendi causa sit, hæc commovendi.* Hinc colligitur finem Argumentationis esse, ut intellectum convincat; Amplificationis; ut voluntatem, quo velit pertrahat.

Q. Quis est in oratione locus Amplificationi proprius?

℟. Nullibi fixam habet sedem, sed more sanguinis totum per orationis corpus diffunditur. Et licet in Epilogo velut anima in cerebro principaliùs residere debeat, nihilominus omnia membra animet, est necesse. Cic. (*l*) rem totam paucis absolvit inquiens: *Amplificatio, quanquam habeat proprium locum, sæpe etiam primum, postremum quidem ferè semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque cùm aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum.*

Q. Quotuplex est Amplificatio?

℟. Duplex; Verborum & rerum. Sit itaque,

ARTICULUS II.

De Amplificatione Verborum.

Q. Quænam præcipuè verba vim habent amplificandi?

℟. *Verba,* inquit Cic. (*m*) *ponenda sunt, quæ vim habeant illustrandi, nec ab usu abhorrentia,* gra-

(*l*) *l. c.* (*m*) *ibidem.*

gravia, plena, sonantia, juncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, imprimisque translata, nec in singulis verbis sed in continentibus soluta, quæ dicuntur sine conjunctione, ut plura videantur. Relata verba, iterata, duplicata, & ea, quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora. Hactenus *Cic:* Breviter singula ad examen vocabimus, ut exẽplis fiant clariora.

Verba illustria sunt, à quibus lumen accedit orationi, proinde non debent à communi usu abhorrere, ut ab omnibus intelligantur. Talia sunt ista S. Greg: Nazian. quibus Matris Machabæorum constantiam amplificat, *Matris robur animique constantiam nihil flectere & emollire aut debilitare potuit: non instrumenta laxandis artubus accommodata, non rotæ propositæ, non exquisitissima quæque tormentorum genera, non ferrearum virgularum acies, non furentes bestiæ, non enses acuti, non ferventes ollæ, non ignis erumpens, non urgentes satellites, non Filiorum aspectus, non membra, quæ discerpebantur, non carnes, quæ lacerabantur, non defluentes sanguinis rivi, non flos ætatis, quæ absumebatur, non præsentia mala, non impendentes acerbitates.*

Gravia: quæ majorem in augendo vel extenuando vim significandi habent. Ut in *primo* sensu: *raptor, sacrilegus,* quàm *fur:* in *secundo:* si crudelem, paulò *severiorem*; adulatorem, *comem & affabilem*; eum, qui vulneravit, *læsisse*

di-

dicas. Similiter apud Polonos graviora ſunt vocabula in *primo* ſenſu: *Tortury, kátownit,* quàm *męki:* in ſecundo: *gdy roſpuſtnego weſołym, ludzkim rozrzutnego názywamy.* Quanquam non deeſt & alius Polonis res extenuandi modus per nomina quæ *diminutiva* vocant Grammatici, noſtrati linguæ familiariſſima.

Plena; quibus ad expreſſionem nihil deeſt. Talia ſunt iſta S. Cypriani (n) *Quàm verò unitatem ſervat, quam dilectionem cuſtodit aut cogitat, qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, Sacramentum profanat?* Cic: (o) *De me ſemper Populus Rom. ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet vetuſtas.*

Sonantia; quæ vividiorem energiam in ſe continent. Talia 6. modis fiunt; I. Dum ponuntur ſuperlativa pro poſitivis; Cic. (p) *Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus.* 2. Pluralia pro ſingularibus, ut pro Balbo n. 2. *Si auctoritates Patronorum in judiciis valerent, ab ampliſſimis viris L. Cornelii cauſa defenſa eſt; ſi uſus, à peritiſſimis; ſi ingenia, ab* elo-

(n) *de ſimpli. Præla.* (o) *pro Milon. n.* 98.
(p) *pro Leg. Man. n.* 1.

eloquentissimis &c. 3. Verbalia pro absolutis; *vitæ Philosophia Dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, & artium procreatrix.* Cic. (q) 4. Composita pro simplicibus; ut *perjucundus, præclarus* pro *jucundus, clarus.* Similia habemus in vernacula, composita ex præpositione inseparabili: *prze*, quæ *Positivo* non rarò, *superlativo* autem gradui sæpissime præponitur. *vg. prześwietny, przesławny, Przenayświetszy, przenaydostoynieyszy &c.* Eò quoque reducenda censeo, quibus adjunguntur *Adverbia: nader* vel *arcy*. Non desunt quoque nobis composita ex duabus dictionibus licèt non semper separabilibus *vg. stárodawny, stárożytność &c.* 5. Plures Syllabas habentia pro iis quæ paucioribus constant. Ut *immensus* pro *magnus, mortalis* pro *homo.* Polonica: *niepochamowány* pro *rospustny; rozmáity* pro *rożny.* 6. Syllabas longiores habentia, etsi numero pares maximè ex asperioribus consonantibus compositas, ut *extermino* pro *ejicio. Pol. Szkárádny kryminał.* pro *nieznośny występek.* *Iuncta*; id est composita, de quibus immediatè. *Facta;* quæ Orator ipse fingit propter meliorem rei expressionem. Ita Cic: scribens ad Appium (r) dicit: *nullam Appietatem, nullam Lentulitatem valere plus, quàm ornamenta virtutis.* Cæterùm sicut est quædam venu-

(q) *Tusc. Quæst. n. 5.* (r) *L. 3. fam. epi. 7.*

nuſtas in verbo non ſine ratione confiсto, ita id ſibi nullô negotiô indulgere, levitatis, oſtentationis aut indigentiæ ingenii, modicæ exercitationis aut incuriæ ſignum eſt. Quare Cic: (s) ubi de verbis novatis doctrinam exponit, tantùm Ennii duo carmina pro exemplo adducit, in quibus voces *expectorat*, & *verſutiloquus* à Poëta factæ leguntur, minimè autem in oratore hoc probare videtur. Verùm equidem non diffiteor fuiſſe hanc omnium ætatum depravationem, ut nova vocabula excogitarentur. Sic Alexarchus gallum, *manicinem* vocabat; quòd mane canat. Temporibus Cic: novæ voces erant: *favor*, & *urbanus*. *Declamare* primus dixit Tullius. Infecit hæc licentia noſtram quoque œtatem, quâ innumera prope verborum lolia pullularunt, cùm in Latina tum in Patria præcipue noſtrum lingua. Quæ videantur *L*. 4. *de Latinitate*. *Cognominata* verba ſunt, quæ penè idem ſignificant: ut illa S. Cypriani (t) *Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis? quid invidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad zabulum, cui renuntiaveras, iterum redis?* Cic. (u) *Hac tanta virtus ex urbe expelletur, exterminabitur*

(s) L. 3. *de orat. n.* 26. (t) *ſerm. de livore.* (u) *pro Milone n.* 101.

tur, ejicietur?

Non vulgata; quæ ſupra communem vulgi dicendi conſuetudinem attolluntur, ne quaſi è triviis deſumpta videantur, humilemque reddant orationem. Hæc aliquando vulgaribus ſurrogantur, cum iiſque collata acrius urgent. Exemplum eſto ex Ver. 3. n. 9. *Non enim furem, ſed raptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque: non ſicarium ſed crudeliſſimum carnificem Civium ſociorumque in judicium veſtrum adduximus.* Similiter obtrectationis crimen exaggerari poſſet in hunc modum: *Non ſpoliâſti illum pecuniâ, ſed famâ, quæ carior eſt univerſis opibus: nec hoſtem traduxiſti, ſed Fratrem & amicum, benè de te meritum, imò non traduxiſti, ſed occidiſti, nec occidiſti gladio, ſed linguæ veneno, ut jam veneficium ſit, non ſimplex homicidium.*

Superlata; quæ rem ita extollunt, ut veritatem excedat. non tamen modum. Ab hac verborum ſpecie non abhorret Hyperbole ſacris etiam Scriptoribus uſitata, ut cùm Pſalmus dicit fluctus *aſcendiſſe uſque ad cælos, & deſcendiſſe uſque ad abyſſum ſeu inferos.* S. Joan: Evangelium ſuum ſic concludit: *ſunt & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Cic. (x) *O terram*

G *illam*

(x) pro Milone n. 105.

illam beatam, quæ hunc virum exceperit! hanc ingratam, si ejecerit! miseram, si amiserit! *Translata*: quæ à propria significatione ad impropriam transferuntur. Hæc nedum augent, sed etiam illustrant orationem, qualia sunt: *Lumen gloriæ, anatematis fulmine ferire, labi errore &c.* S. Cypr. (y) *Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum letale serpentum, & cruenta sævitia bestiarum?* Cic: (z) *Equidem cæteras tempestates ac procellas in iis duntaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas.* Polonis oratoribus vocum translatarum usus est maximus. *vg. gniewem rozpalony, ná wszystko złe wylany &c.*

Ulteriora Tullii verba monent adhibendam esse Disjunctionem, ut plura videantur, quod fieri potest vel in membris, vel in singulis vocibus. Exem: *1mi* pro Milon: *Luget senatus, mæret Equester ordo, tota Civitas confecta senio est, squallent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipsi tam mansuetum Civem desiderant.* Exem: *2di.* ibidem n. 103. *Illa exitia communis incendii indagavi, patefeci, protuli, extinxi.*

Tandem *Relata verba* sunt, quæ dicunt respectû & ordinem ad alia. In his eminet S. Aug: Accidunt autem quatuor præsertim modis. 1. Cùm paria paribus respondent. S. Aug: *Iustis quid- quid*

(y) *de simpl. Præl.* (z) *pro Mil. n. 5.*

quid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed virtutis examen. Nam bonus etiamsi serviat, liber est: malus autem etsi regnet, servus est: nec unius hominis, sed (quod est gravius) tot Dominorum, quot vitiorum. 2. quando minora cum majoribus conferuntur. *vg:* si quis probans aliquid testimonio Pauli, illud amplificet sic: *non hæc verba sunt hominum fabulis jactata, sed literis prodita: nec quibuslibet literis, sed totius orbis consensu comprobatis; nec sunt cujusvis hominis, sed Ecclesiastici Magistri; nec cujusvis Theologi, sed Apostoli; nec cujuslibet Apostoli, sed Doctoris Gentium Pauli, imò non Pauli, sed Spiritûs S. ore Pauli nobis loquentis.* 3. Dum contraria contrariis opponuntur. S. Aug. *Diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem: Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit & dejecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.* 4. Cùm ad unum verbum multi casus per Adjunctionem referuntur. Cic: post Red. *Reliqui fuerunt, quos neque terror, nec vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec tela, nec faces, à vestra auctoritate, à Populi Rom. dignitate, à mea salute depellerent.*

Iterata; quæ pluries initio membrorum vel incisorum repetuntur. In his Tullius regnat. Exemplo sit Inductio Apostoli:

(a) *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

Duplicata: quæ geminantur. hoc autem quot modis fiat, videatur *Fig: Conduplicationis.* Frequentia occurrunt in sacris paginis, ut: *Amen, amen &c, Deus, Deus meus.* Apoc: 18. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna.*

Quæ ab humilioribus ascendunt ad grandiora. Istius rei complura vel in uno c: 5. Rom. invenies Apostoli exempla, unum profero: *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Cic: pro Milon. *Utinam Clodius non modò viveret, sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset.* Huc referenda sunt verba conversa seu mutata, de quibus Tullius *in Part. n. 30.* quando nimirum eadem sententia nunc directè sicut natura ipsa ducit, nunc inverso ordine per Negationem, Interrogationem, Circuitionem, Exclamationem effertur. *vg. temporis jactura gravissima.*

Per Negationem: Si universa in unum congeras cumulum totius mundi pretia, minimè valore suo inæstimabilem brevissimi jacturam temporis compensabunt.

Per Interrogationem: Quid amabo in hac rerum

(a) 1. Cor. 9.

rum universitate tanti valoris reperies, quod cum modica amissi temporis jactura in comparationem venire queat?

Per Circuitionem. Nihil tam æstimabile in suo terra fovet sinu, quod exigui temporis deperditi damna valeat resarcire.

Per Exclamationem. Tanta cuivis temporis momento valoris vis inest, ut nihil in omni rerum natura inveniri possit, quod elapso unico illius puncto reparando, sufficiat!

ARTICULUS III.

De Amplificatione rerum communi.

Q. Quotuplex est Amplificatio rerum?

R. *Duplex: Communis* utrique orationi, & *propria* veluti concionis Evangelicæ. De priore isto, de posteriore sequenti Articulo discurremus.

Q. Quot sunt genera amplificationis rerum Communis?

R. Ista 4. assignant Rhetores: *Incrementum, Comparationem, Ratiocinationem, & Congeriem.*

Q. Quid est Incrementum?

R. Est genus Amplificationis, quô per gradus non tantum in verbis (ut supra dictum) ast in rebus etiam ita crescit oratio, ut ad summum, vel quodammodo supra summum perveniat, aut ad infimum vel infra infimum descendat.

Q.

Q. Quot sunt modi Amplificationis ab Incremento?

R. Quatuor. I. cùm exaggeratis inferioribus per gradum unum aut plures supra summum quodammodo evehitur Oratoris impetus, quando scilicet ultra id, quod in ultimo gradu nominatur, adhuc aliquid Auditoris cogitationi relinquitur. Cic: (b) *Facinus est vincire civem Rom. scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in Crucem tollere?* Egregiè locus hic applicari posset Servatori mundi Christo Jesu s. v. s. *Magnum & mirabile quiddam fuit Moysi, quod Populus audiret Deum è medio ignis loquentem, quanto mirabilius est eundem in carne humana cum mortalibus conversari, stupendum planè ab iisdem Illum vinciri, cædi, & reprobari, quid dicam inter latrones in crucem tolli?*

II. Cùm per gradus non itur, eò, quòd hoc ipsum quod dicimus, tam magnum sit, ut augeri nequeat. *vg. Homo Deus in Cruce pendet, quid dicam amplius? Homo-Deus in Cruce pendet!*

III. Cùm minus apertè citra distinctionem graduum in ipso tractu orationis semper aliquid priore majus subsequitur. Ibid. (c) *Magna est virtus, si non lædas, à quo læsus es: magna fortitudo, si læsus remittas: magna gloria, si cui potuisti nocere, parcas.* Et Seneca ad

(b) *Verr. 7. n. 169.* (c) *L. 2. soliloq.*

ad Lucilium: *Magna vita pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Hoc modo amplificatur illa ſententia *Repleti ſunt ſpiritu S. & cæperunt loqui.* Act: 2.

Iák prędko ná ukrywáiących ſię w Wieczerniku Apoſtołow, Duch Boſki w poſtáci ogniſtych ná káždego oſobliwie padáiących ięzykow zſtąpił, záraz nábráwſzy ſerca y odwagi rozbiegáią ſię ztamtąd, ſtawiáią ſię ná publiczny widok, wchodzą do Synágog, ſtáią przed ſądem, gdzie bez wſzelkiego względu ná Oſoby z tym ſię proteſtuią, że człowiek między łotrámi ukrzyżowány, człowiek przez nieſpráwiedliwy Piłatá dekret ná śmierć ſkazány, ieſt prawdziwy Meſſyaſz; że ten Jezus Nazáráńſki ieſt Pomázáńcem Páńſkim, że ten niewinnie ná ſtrácenie wydany ieſt pierwſzym początkiem życia, czego też dał dowod, gdy ſam z martwych powſtał, że ſą tego świádkámi z widzenia, nieprzekonánemi, że nie mogą ſię oprzeć mocy Duchá Boſkiego, ktory ſobie ich ſercá podbił, y nieme uſtá rozwiązał. Prożno Tyranni kuſzą ſię Apoſtołom wypowiedzieć milczenie: Bog nam mowią, rozkázuie ogłoſić to, cośmy widzieli y ſłyſzeli. Dáremnie ich zá nierozumnych y piiánice biorą: ieżeli to ieſt piiáńſtwem rzecze Piotr S. pełnić wyroki Prorokow, ſądźcie iák ſię wam podoba; átoli pomniycie ná to, co ù Ioëla przepowiedziáno ieſt: że

Bog

Bog w czásiech ostátecznych wyleie Duchá swego ná wszystko Ciáło. Co się teraz prawdźi istnie ná nas wyznáiących Jezusa Chrystusa; y zámiast cobyśmy się mieli wstydźić tego piiáństwá, ráczey się nim cieszemy y chlubiemy. Ale ieszcze by to nie ták wielkiego rzecz byłá godna podziwienia, gdy by ci wybráni Mężowie Páńscy wiele tylko mowili, á rzeczą samą máło do skutku przyprowadzáli. Gdy záś oni ná te rzeczy porywáią się y skutecznie wykonywáią, ktore mocą ordynaryiną nátury stáć się żadnym sposobem nie mogą, lecz wszelkie przyrodzone siły dáleko przewyższáią: przyznáć im koniecznie potrzebá, że Digitus Dei est hic. Exod. 8.

IV. Tandem cùm multò apertius singulos gradus dividimus, & in singulis commoramur, ut iis, quæ minora sunt, in gradu inferiore elevatis, id, quod ultimò locô ponitur, maximum appareat. Cic: (d) *Neque verò se populo solùm, sed etiam senatui tradidit, neque Senatui modò, sed etiam publicis præsidiis & armis, neque his tantùm; verùm etiam ejus potestati, cui senatus totam Rempublicam, omnem Italiæ partem, cuncta Populi Romani arma commiserat.* Simile illud: *Pusilli animi est vindictam velle sumere: gloriosum est cum Tiberio ridere injurias, aut cum Tito aspernari: gloriosius, cum Theodosio condonare:*

(d) *pro Milone.*

re: gloriosissimum cum Augusto etiam muneribus rependere.

Q. Quid est Comparatio?

R. Est genus Amplificationis, quò vel majora cum minoribus, vel minora cum majoribus, vel paria inter se non tam probandæ quàm exaggerandæ rei gratiâ conferuntur. Isaiæ 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit.* Ubi evidens est, bovis & asini exemplum non propterea adferri, ut probetur Hebræos non agnovisse Deum suum, sed ut amplificetur illius Gentis impietas ac stoliditas. Hic advertendum est ex Quintil. ut utriusque partis circumstantiæ, quæ rem attollere possunt, diligenter excutiantur. Id, quod eleganter præstitit D. Cyprian. hoc argumentum à Minori ductum: si herus delinquentem servum punit, cur Deus de peccante homine supplicium non sumat? sic amplificans: *Ipse de servo tuo exigis servitium: & homo hominem parere tibi & obedire compellis: & cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali jure & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo postmodum recedatur: tamen nisi pro arbitrio tuo tibi serviatur, nisi ad voluntatis imperium pareatur, imperiosus & nimius servitutis exactor flagellis verberas: fame, siti, nuditate,*

tate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias: & non agnoscis Dominum Deum tuum, cùm sic exerceas ipse dominatum. Illuminatio Apostolorum à spiritu divinissimo præfertur doctrinæ Platonis tali ratione:

Ani obawiáć się potrzebá, áby tych náuk swoich tak prędko y ták łatwo odstąpić mieli, iák prędko y iak łatwo w nich postąpili. Nie, nie, żadne powáby, żadne obietnice, żadne prozby, żadne srożenia się, żadne groźby, kátownie, krwi wylania, śmierć náwet sama od raz nátchnionych sobie przez Boskiego Náuczycielá Duchá Przenayświętszego prawd odwieść ich nie zdołálá. Gdyby Plato, mowi S. Chryzostom, *dufaiąc wielkiemu idących zá zdániem swoim Uczniow wierzeniu, tego śmiał był po nich wyciągáć, áby podáne sobie od niego náuki własney krwi wylaniem, y życiem przypieczętowáli, tedy zámiast przywiązywánia się do Niego, u wszystkich by był został w pogárdzeniu. Czemuż to ? bo Plato náuczał iáko człowiek, Ludzkie záś ćwiczenia ták dáleko záśiągáć nie mogą. Samemu tylko uczących Náuczycielowi Duchowi Boskiemu ta własność iest zostáwiona.*

Quot modis fiat Comparatio, satis ex dictis colligitur, & ex dicendis de Loco à Comparatis pleniùs constabit; cùm enim tria sint Comparatorum genera: *Majorum* videlicet, *Minorum*, & *Parium*, tripliciter quoque institui poterit Comparatio.

Q.

Q. Quid eſt Ratiocinatio?

R. Eſt genus Amplificationis, quo aliud augetur, ut aliud creſcat. *vg.* Si Neronis alteriuſve Tyranni crudelitas exaggeretur, ut Martyris fortitudo eluceat, qui patientiâ ſuâ ejus ferociam ſuperavit. Non deſunt iſtiuſmodi in ſacro codice exempla. Sic in lib. *Regum*, proceritas corporis & fortitudo Goliæ ex haſta ejus & lorica, quæ erat quinque millium ſiclorum ponderis demonſtratur, unde & alia conſurgit amplificatio, nempe Divinæ in Davide virtutis, qui horrendum illud immanitatis portentum in acie proſtraverit. Similia leguntur *Deuteron. 3. Ezechiel. 27. & 31.* & in omnibus ferè Prophetarum libris.

Paradigma Polonicum.

Przypátrzcie ſię proſzę, iáko owi nędzni Grzeſznicy (Apoſtołowie) Ludzie bez żadnych talentow, bez ſławy y wziętośći, ubodzy, podłego urodzenia, ktorych zá iedne świátá śmiecie poczytywáno, á przecię Duchem Boſkim poprzedzeni przed ſię biorą odmianę ſtárych obrządkow Synagogi, ná nowe Kośćiołá ceremonie, y reformę cáłego świátá. Zreflektuycie ſię wprzod Mężowie, y nieudolność ſił wáſzych rozstrząśniycie. Coż macie tákowego, co by pożądány zámyſłow ſkutek obiecywáć wam mogło? gdzież ſą ſkárby, woyſká, bronie, wymowa, rádá do podbicia y záwoiowánia świátá

potrze-

potrzebne? Nie masz nic z tego wszystkiego, iedna tylko światłość Ducha Przenayświętszego zápaláiąca ich wole, ktorey mocą wszędzie tryumfuią.

Q. Quibus è Locis Ratiocinatio sumitur?

R. Ab antecedentibus, concomitantibus, consequentibus, unô verbô ab omnibus rerum & Personarum circumstantiis.

Q. Quid est Congeries?

R. Est genus amplificationis, quo aut verba multiplicantur, aut variæ res & sententiæ ad instandum atque augendum in unum quasi acervum congeruntur. De priore jam locuti sumus supra, ubi de amplificatione verborum sermo fuit, de posteriore hìc superest agendum.

Q. Unde Amplificatio rerum per Congeriem est petenda.

R. Etsi ex omnibus ferè Locis tam Insitis quàm Assumptis haberi possit, de quibus *L. 2.* isti tamen 10. sunt fæcundiores: Definitiones conglobatæ, Partium enumeratio, Consequentium frequentatio, Similium collatio, Dissimilium, Contrariorum, sive inter se pugnantium conflictus, Adjunctorum, Causarum, Effectorum & Exemplorum accurata recensio.

Q. Quid est amplificatio à Definitionibus conglobatis?

R. Est ea, in qua variæ unius rei definitiones

nes ſive propriis, ſive translatis vocibus, naturam aut proprietates illius explicantes coacervantur. Cic. (e) commendat Hiſtoriam: *eſt teſtis temporum, lux veritatis, vitæ, memoria magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.* Similiter deſcribitur ebrietas: *Eſt mater flagitiorum, rixarum nutrix, perturbatio capitis, ſubverſio ſenſuum, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, jactura temporis, infamia voluntaria, corruptela morum, vitæ opprobrium, honoris amiſſio, charybdis vorax fortunarum, ſuave malum, dulce toxicum, animæ pernicies.*

Q. Quid eſt amplificatio ab enumeratione partium?

℞. Eſt ea, in qua totum in partes diſtribuitur. Hoc modo D. Ambr. (f) hominis fragilitatem deplorat: *Quis inter tot paſſiones hujus corporis, inter lentas illecebras hujus ſæculi, tutum atque intemeratum ſervare poteſt veſtigium? reſpicit oculus, & ſenſum mentis evertit: audivit auris, & intentionem inflexit; inhalavit odor, & cogitationem impedivit; os libavit, & crimen reddidit; tactus contigit, & ignem adolevit.* Brevis hæc ſententia: *Apoſtołowie wſzędzie wiárę rozſiewáią.* ſic dilatabitur:

Wſzyſcy Im dobrowolnie poddáią ſię, álbo raczey ich práwu, ktore publikuią: mądrzy y nieumieiętni, Poſpolſtwo y oſoby nayzacnieyſze, narody nay-

(e) L. 2. de Orat. n. 19. (f) de fuga ſæculi c. 7.

naygrubſze, Pánowie y poddáni, nayznácznieyſi y naypodleyſi, Męſkiey płci y niewieściey, młodzi y ſtárzy. Przechodzi zá ich opowiádániem tá náuká Ewangeliczna zá morzá nayburzliwſze, zá gory nayprzykrzeyſze, zá láſy nayokropnieyſze, doſtáie ſię náwet do mieyſc nayniedoſtępnieyſzych; ſzerzy ſię po Prowincyách, Kroleſtwach, Páńſtwách; ták dálece, że nayſławnieyſzych Woiownikow męſtwo, ktorych Bohatyrſkie dziełá wielkiego dowcipu Dzieiepiſowie doſyć ſię náchwalić nie mogli, ktorym ſtárożytność tryumfalne dla nieśmiertelności pámiątki wyſtáwiáłá koloſſy, nigdy przy wielkiey ſwoiey potędze, przy wſzelkiey ſpoſobności y poſiłkách, przy naywybornieyſzym woyſku nie mowię dáley, ále áni rownie dáleko ſwoim záſięgnęło podbiciem.

Q. Quid eſt amplificatio à Conſequentium frequentatione?

R. Eſt ea, in qua plura ſeu bona, ſeu mala, commoda ſive incommoda ex aliqua virtute aut vitio, facinore vel re alia neceſſariò vel probabiliter oritura acervatim recenſentur. Amplificatio id genus mirè efficax eſt ad ſuadendum vel diſſuadendum, pulchrè nonnunquam per Hypotypoſim tractatur. Cic: (g) *Videor mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium ſubitò uno incendio concidentem, cerno*

(g) Catil. 4. n. 11.

cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde bacchantis. Sic Juvenem libertatis amantiorem, & salutis minus studiosum à vitiorum turpitudine dehortaberis: *Putasne inconsiderate Adolescens, quod impunè tibi cedet ista licentia? utinam tandem aliquando in mentem tibi veniat tremendus dies ille, qui vitæ tuæ terminum exitu calamitoso concludet! utinam nunc obversarentur oculis tuis teterrimæ infernales larvæ, quæ tum, impia tua, quam evomes, animæ abripiendæ inhiabunt! Resipisce paululum obsecro, ac temperato tantisper vesano libidinis æstu sanæ mentis consilio confer illius diei terrores, furias, tortores in tuam perniciem armatos; funestæ mortis horam cum hac præpostera voluptate, & intelliges, quantum inter vitam cum honestate traductam, & sceleribus contaminatam intersit. Siste passum, quò in præceps ruis? veniet equidem, veniet fortè brevi dies ille, quo Deum videas aversum, doleas iratum, horreas judicantem, sentias vindicantem.*

Q. Quid est Amplificatio à similium collatione?

℟. Est ea, in qua plura rei, de qua agitur, similia conferuntur. Ita Cyprian. hanc sententiam: *Quò quis altiùs eminet, eò sibi magis caveat*, amplificat (h) *Acriùs divitibus,*

quam

(h) *De singularitate Clericorum.*

quàm pauperibus invidetur, & non inopes sed locupletes inquietat; infestatio sæva latronum. Plus duces & principes quàm milites ab hostibus appetuntur in pugna: & violentius propulsantur ventis & turbinibus culmina, quæcunque sunt altiora: ita magis magisque quò plus cæteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur.

Q. Quid est Amplificatio à Dissimilium colluctatione?

R. Est ea, in qua plura dissimilia afferuntur, ut res una ab alia, vel aliis longè dissidere ostendatur. Elegans est illa hominis à reliquis animalibus differentia, quam assignat Sen. (i)*Omnia bono suo constant. vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorsô jumenta sint, quæris? quia eorum hic unus est usus sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus si consequi: audacia, si mordere & invadere. Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet? & Leones. Formosus est? & Pavones. Velox est? & equi. non dico in his omnibus vincitur. non quæro quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbo-*

(i). *epist.* 76.

arbores, habet impetum & motum voluntarium? & bestiæ & vermes. habet vocem? sed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremq́; lusciniæ? quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & consummata felicitatem hominis implevit. Exemplum istud multam quidem continet eruditionem, magis tamen ad imitationem valebit Ciceronianum:(k) *Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto; hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.* Sequitur Paradigma Polonicum, in quo ostenditur differentia Magistrorum hujus mundi à Doctore Spiritu SS. *Nie przeczę Ia bynaymniey temu, áby też człowiek człowieká w czym obiáśnić nie miał, osobliwie mędrszy nieumieiętnego, biegleyszy niewiádomego. Ale náucząć wszelkey ogołem Prawdy, wszelkich bez wyłączenia Uczniow, wszelkiemi náwet niezwyczáynemi sposobami, nikt z Ludzi sposobnym nie iest, lecz samemu tylko Duchowi Boskiemu przyzwoita. Wszákże, co do pierwszego, sam zbáwiciel Iezus ten iáko istotny Duchowi S. przymiot w Ewángelii przypisał:* Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatē. *Ktore słowá uważáiąc Aug: S. mowi:*

(k) *Verr. 6. n. 115.*

wi: samego to Duchá Nayświętszego własność
iest, uczyć y wyuczyć wszelkiey prawdy. Zá-
iste człowiek, słowá są S. Chryzostoma, łá-
two náuczyć może człowieká tych rzeczy,
ktore dogadzáią miłości własney, nie sprze-
ciwiáią się prożności, wzbudzáią ciekáwość,
kontentuią chciwość: lecz co uskramia námię-
tności, co się sprzeciwia wrodzonym skłonno-
ściom, co wykorzenia ambicyą, perswáduie
wzgárdę siebie samego, dobrowolne ubostwo,
chętne posłuszeństwo: to w kogo práwie wlać,
ktoż procz Duchá S. potráfi? Dopieroż kto
potrafi wyuczyć wszelkich bez dystynkcyi U-
czniow poiętnych lub niepoiętnych? Znáydu-
ią się álbowiem ná świecie subjektá tákowe, że
álbo poiąć prawdy nie mogą, álbo choć poj-
muią, przecięż się iey poddáć y uwierzyć u-
porczywie zbrániáią. Oddaycież podobne tę-
pe y grube dowcipy iák naydoskonálszemu y nay-
sposobnieyszemu Náuczycielowi Ziemskiemu
do wyćwiczenia, przez wszelkie oświecenia
swoie on ie nie obiáśni, nie wyuczy. Niech
że Duch Boski czyiem stanie się Náuczycie-
lem, nic tám niepoiętność iednych, nic nátu-
rálna niesposobność drugich, nic upor przy
swoim błędzie innych nie przeszkodzi; dla
czegoż to? bo Duch Przenayświętszy przyspo-
sabiáiąc kogo do poymowánia prawd swoich u-
przątá y zagubia w nim te wszystkie przeszko-
dy, czego żaden z Mistrzow świátowych wy-
konáć

konáć nie zdoła. Iego w nas przytomność ten skutek spráwuie, że iáko sam wszystkie uformował umyśły, ták też dáie káżdemu temperament według woli y upodobánia swego. A ták z grubych y niepoiętnych dowcipow, czyni gdy chce, subtelne y wszystko przenikáiące, z dowcipow sprzeciwiáiących się prawdzie, skłonne do niey, y z upokorzeniem poddáiące się. Inni náuczyciele potrzebuią uczniow poiętnych, ktorzyby sami z siebie byli sposobnemi do wyrozumienia Máxym, ktore Im dawáć zámyśláią. Duch záś Boski bynaymniey nie brákuiez wszelki rodzay Uczniow, náwet niepoiętnych, tępych, niewiernych, upornych, uprzedzonych u niego iest do náuki zgodny, mowi S. Chryzostom, ponieważ on umie z tych wszystkich uczynić subjektá ták sposobne, że co tylko zechce, náuczyć ich potráfi. Y ta to iest cudowna instrukcya, ktorą nam Prorocy wyráźnie wytchnęli. Scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Joan. 1. Náostátek iest ta przyzwoita Ziemskim Náuczycielom niedoskonáłość, że náuczáią sposobem bárdzo okryślonym y ográniczonym, z wielką pracą, przez dáwánie lekcyi, przepisywánie reguł, náuczáią powoli, z przeciągiem długiego czásu, iáko mamy o Xiążęciu Filozofow Aristotelesie, że pod Sokrátesem trzy, á pod Plátonem lat 20. do tey się umieiętności áplikował, náuczáią z uczynieniem

iákieykolwiek tylko ná umyſłách impreſſyi, ále nie mocney y ſtáteczney, ktorych práwideł zá ládá przywidzeniem ſię y innych myśli nádeyściem odſtąpić ſą gotowemi. Przeciwnym ſpoſobem Náuczyciel Niebieſki Duch Przenayświętſzy nayg łębſze y nayniedościgleyſze prawdy Religii w iednym momencie w Nas wlewa y wpaia, z tákim oświeceniem, że áni náuki, áni pracy Uczniom przykłádáć nie potrzebá: z tákim zápaleniem ſerc, że powziętych raz náuk do śmierci nie odſtępuią, owſzem z niemi y zá nich umieráią.

Q. Quid eſt Amplificatio à Contrariarum rerum conflictione.

R. Eſt ea, in qua plura contraria ſibi per Antitheſes opponuntur. Hoc modo Laurent. Iuſtin. (l) probat nos Dæmone pejores, cùm peccamus. *Quoniam ille nulla præcedente peccati vindicta ſuperbiens peccavit: nos visâ ejus pœnâ contemnentes ad peccata properavimus; ille in innocentia conſtitutus: nos reſtituti; ille perſiſtit in malitia Deo reprobante: nos Deo revocante; ille duratur ad punientem: nos ad blandientem: ſi contra Deum omnes, ille contra requirentem ſe: nos contra morientem pro nobis.* Huc pertinet rerum inter ſe pugnantium contentio, quæ cùm aliàs inſtitui ſolet, ut patet in Cic. *pro Milon.* n. 103. & 104. *pro Cælio*

(l) *de Ligno vitæ* c. 4.

Cælio n. 47. tum præcipuè, dum aliquem in ſuis dictis ſcriptiſve ſibi contradicere demonſtramus. Ut idem Orator (*m*) probat Saturium pugnantia loqui: *Qua in re mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes & laudares; & virum optimum & hominem improbiſſimum eſſe diceres.*

Paradigma Polonicum. In quo inenarrabile oſtenditur Myſterium Nativitatis Chriſti Domini:

Kto to wypowie, iako ſię ták rożne à ták przeciwne rzeczy ſpołem złączyć mogły? iż ſię Przedwieczny ſtał doczeſnym, naymocnieyſzy ſłábym, śmiertelnym nieśmiertelny, we wſzyſtko obfituiący ubogim, niecierpiętliwy cierpiącym, Słowo Ciałem, Stworzyciel ſtworzeniem, Pan ſługą, Monárchá poddánym, krotko mowiąc, Bog człowiekiem! A co ieſt dziwnieyſza zoſtawſzy tym wſzyſtkim, pierwſzemu Máieſtatowi ſwemu w niczym nie ubliżył. Záczął być tym, czym przedtym nie był, nie przeſtał być tym, czym przedtym był. Co gdy ták ieſt, izali nie ſłuſznie z Prorokiem ſpytać ſię mogę. Generationem Ejus quis enarrabit? Iſai: 53. v. 8. *Ktoż ſię znaydzie ták byſtrego w poymowániu dowcipu, ták wyſokiey w opiſániu ſubtelności, ták obfitey w opowiadániu wymowy, áżeby ták dziwne, ták cudowne Národzenie doſtá-*

(m) *pro Roſcio Comœdo n. 19.*

doſtátecznie poiął, poięte zupełnie okryślił, okryślone zgodnie wyſtawił?

Q. Quid eſt amplificatio ab Adjunctis conglobatis?

℟. Eſt ea, in qua rei vel Perſonæ aut utriuſq; ſimul circumſtantiæ enumerantur. D. Chryſoſtomus ex omnibus circumſtantiis diligentiſſimè congeſtis calamitatem S. Patriarchæ Jacob, cùm ei Joſeph Filii mors à cæteris Filiis nuntiata eſſet, ſic exaggerat: *Cùm autem adoleviſſet amantiſſimæ uxoris filius, ſolariq; illius deſiderium hujus præſenti & jugi contubernio ſperaret, tunc ſibi multiplices parantur clades: Fratres enim illius tunicam intinctam ſanguine Patri oſtendentes, vario illum luctu confecerunt. Neq. enim ſolam lugebat mortem, ſed ipſum quoq; mortis genus: plurimaq; erant, quæ illius animum confunderent: quòd amatæ illius conjugis filius, quòd melior reliquis, quòd maximè dilectus, quòd in ipſo ætatis flore, quòd ab eo miſſus, quòd nec in domo, neq; in lecto, nec Patre coram aſſiſtente, nec dicens aliquid & audiens; quòd non communi morte omnium, quod vivens à ferarum immanitate diſcerptus fuerat, quòd ne reliquias quidem illius reperire poterat & humo condere.*

Q. Quid eſt Amplificatio à Cauſarum Congerie?

℟. Eſt ea, in qua plures unius rei cauſæ alle-

allegantur. D. Bernardus (*n*) aſſignat cauſas cur Deum debeamus diligere: *Vultis à me audire quare & quomodo diligendus eſt Deus? & ego dico, quòd cauſa diligendi Deum, Deus eſt; modus, ſine modo diligere. Ob duplicem cauſam dico Deum propter ſe diligendum, vel quia nihil juſtiùs, vel quia nihil fructuoſiùs diligi poteſt.* S. Chryſoſtomus. (*o*) Malorum omnium cauſam conſtat eſſe peccatum. *Ex peccato triſtitia ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atq; omnes, quotquot nos premunt, paſſiones.*

Cauſæ deſcenſûs Spiritûs Diviniſſimi in Apoſtolos, congeruntur in hoc exemplo Polonico.

Duch *Przenayświętſzy záżywa niby za inſtrument ludzi, przez ktorych uſtá mowi.* Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus S. loquitur in vobis *Matt. 10. áby ſpráwił powſzechne wyznánie Jezuſá, áby na oczy wytchnął Jego świątobliwość, y niewinność áby powagi przydał Jego náuce, áby utwierdził Kościoł y Religią, ktorą on był uſtánowił.*

Q. Quid eſt Amplificatio à congerie Effectorum?

R. Eſt ea, in qua multa rei alicujus effecta accumulantur, quæ in honeſtis admirationem, in turpibus indignationem pariunt.

Super-

(*n*) *in Tractat. de diligen. Deum.* (*o*) *Hom. 5. ad pœnit.*

Superbiæ & avaritiæ effectus suo themati probando convenientes recenset P. Bourdalouë (p)

Rzecz iest oczywista Naymilsi, że nie co innego przeszkadza nam do ználezienia pokoiu w duszách, tylko pychá przeciwna pokorze, y przylgnienie do dobr znikomych przeciwne oderwániu się od nich. Pycha; *ktora nam wyrzuca ná oczy w tylu okázyach, że niemász dla nas tego względu, ktory by być powinien, niemász tego poważenia, ktorego godni iesteśmy. Ztąd melancholie, troski, rozpacze, zápálczywości, nieukontentowánia z tego, czym iesteśmy, prágnienie być tym, czym nie iesteśmy; nieukontentowánie z tego co złáski Boskiey sowicie mamy, prágnienie tego, czego niemamy; zazdrości tego, co innym dobroć Boska udzieliłá.* Przylgnienie do dobr znikomych: *ktore sprawuie utarczki wewnętrzne ták cię ciężko trapiące. Szukasz w nich słodyczy, á znáyduiesz gorycz. Záiste co zá stárania w tych dobr nábywániu! co zá trudności w ich záchowániu! co zá boiáźni w naymnieyszym niebespieczeństwie utráty! co zá prágnienia nienásycone w ich pomnożeniu! co zá troskliwość w tym, czyli wystárczą bądź potrzebom według własnego myśli uknowánia, bądź ná rozchody y nákłády rozrzutne! co zá udręczenie,*

(p) *Serm: de Nativ. Christ. ex Textu: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.*

nie, gdy mimo náſzey woli z rąk nam ie wydrą! co zá nárzekánia gdy nieſpodzianym ognia, wody, złego człowieká przypadkiem zginą! co zá żale nád przeſzłemi! co zá nie ſpokoyność w teráźnieyſzych! co zá zabiegi o przyſzłe! w pośrzodku niebeſpieczeńſtw, trudow, fatyg, hážárdow życia, náktore záwſze ieſteś wyſtáwiony! przeciwnie człowiek używáiący bez przywiązánia tych dobr przemiiaiących, we wſzyſtkim zgadza ſię z wolą Boſką, w ſzczęściu y nieſzczęściu iednákowego ſercá, cieſząc ſię w przypadkách y trefunkáh ſwoich z ſprawiedliwym Jobem: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit Nomen Domini benedictum. Job 1. *Bog dał, Bog wziął, niech będzie Imię iego błogoſłáwione. uſpokoiony w ſobie y niepomieſzány wpośrzod przeciwności, mowiąc z tymże według ſercá Boſkiego mężem: ieżeli z Oycowſkiey Stworcy mego ręki co dobrego przyiąłem, czemuż co złego przyiąć nie mam?* Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus? Job. 2.

Q. Quid eſt Amplificatio à congerie Exemplorum?

℟. Eſt ea, in qua conformia noſtræ tractationi exempla coacervantur, quibus ad movendum nihil ſolet eſſe efficacius. Oratio nem vero non firmiorem modò, ſed etiã illuſtriorem faciunt. Exen pla etiam facta

cta seu à Poëtis ficta Oratori profano usurpare licet: at Ecclesiastæ de virtutibus Christianis differenti vix permiserim has nugas aniles, quas Religio, lociq; sanctitas respuit. Neq; sibi ulla fictis utendi adest necessitas, qui veris & sacrarum literarum testimoniô firmatis abundat, quæ eò ad movendum sunt efficaciora, quò certiora, nec humanâ industriâ aut casu, sed Divinô consiliô peracta. Hac amplificandi ratione *Makovius* (q) demonstrat hominem pulverem esse, & in pulverem rediturum: Inspicite superbè regnantem Antiochum, sed in fætore intolerabili mundo renuntiantem 2. *Machab.* 9. Recogitate crudelem Herodem (cujus impiæ manus ne à sanguine Dei-Hominis immunes esse voluerunt) à vermibus miserè ante mortem consumptum. Cernite Julium Cæsarem gloriæ cupidum, sed à conjuratoribus 15. pugionibus in Senatu Romano confossum: Potentissimum Pompejum capite plexum: Alexandrum veneno interemptũ &c. Ex eodem fonte profluunt illi cujusdam versiculi apud D. Hieronym. in epist. ad Nepot: relati:

Adam, Samsonem, Petrum, Davidem Salomonem,
Decepit Mulier: quis modo tutus erit?

AR-

(q) Conc. 1. pro die Cinerum.

ARTICULUS IV.

De Amplificatione rerum magis propria orationis Sacræ.

Q. Quæ sunt genera Amplificationis, sacræ orationis peculiaria?

R. Sequentia: 1. *Per Similitudinem Biblicam*, quando nimirum vel apertè declarata vel latens in sacra sententia similitudo (quibus Scriptura referta est) eruitur, diffusiusque protenditur. Quod tripliciter fieri contingit: 1. cùm res alteri confertur in una qualitate per particulas exprimendæ similitudini aptas. Exemplum sit ex Makovio nostro (r) *Quemadmodum granum sinapis nonnisi tritum odorem spirat: & Ecclesia pariter nonnisi trita & sanguine purpurata crescere debuit.* 2. quando res una in pluribus qualitatibus sive proprietatibus cum altera comparatur adjectis similibus, ut supra, particulis. Sic idem Autor (s) Ecclesiam Christi grano sinapis assimilans magnam orationis partem conficit, compendia duntaxat institutorum similium producere placuit 1. *Ut in parvo sinapis grano magna virtus est & efficacia; sic plane Ecclesia Christi prima fronte vilis apparuit & tenuis, sed ubi persecutorum sævitia teri capit, statim acrimoniam in fide Divina ostendit, cor-* da

(r) Conc. 1. in Domin. VI. post Epiphan.
(s) Conc. 2. in eandem Domin.

da non solùm fidelium, sed etiam barbarorum igne Divini amoris succendens. 2. *Sicut cùm sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lacrymas provocamur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodam fletu austeritatis accipimus: - - ita omnino cùm in Ecclesia Christi fidei præcepta percipimus, contristamur, affligimur corpore, ad lacrymas provocamur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu & mærore prosequimur, dum inde nos jejunia exasperant, hinc peccatorum conscientia macerat &c.* 3. *Quemadmodum granum sinapis excrescit in arborem, ita, ut volucres cæli in ramis ejus nidificare possint: sic Ecclesia Dei per totum orbem dilatata est adeo, ut in ramis ejus quisque mortalium nidum salutis æternæ habere possit.* 3. denique & elegantiùs quidem effertur similitudo Biblica, dum suppressis quibusvis *relativis particulis* comparatio utriusque rei similis instituitur. *vg.* si illud: *Fortis ut mors dilectio* protrahatur collatione mortis & amoris Divini: *Amor Dei quàm simillimus est maximèque geminus mortis. Morte abstrabitur animus & divellitur à corporis istius carcere: idem animus divini amoris vulnere accepto è domicilio corporis confestim evolat in Christi viscera, ubi suas delicias collocavit. In morte sensus omnes corporis extingvuntur, caligant oculi, hebescunt aures, languet emortua*

tua

tua ſagacitas odorandi, totum denique corpus calore conſumpto ad tactum rerum molliſſimarum obrigeſcit: in amore ſi quis guſtum divinæ delectationis hauſerit, repente in ejus animo, quæcunque oculis cæteriſque ſenſibus captantur voluptates, faſtidio quodam & ingrata ſatietate temperantur. Mortis adeo violentus eſt impetus, ut omnia frangat; tanta audacia, ut in capita Principum irruat; tantus furor in cæde bacchantis, ut civitates ſubvertat, totos exercitus ad internecionem deleat, regna integra funeſtiſſimis ruinis inſepeliat: amor ille tanquam ignis è cælo lapſus in animos, quàm multas civitates optato inflammavit incendio! quàm multos Reges purpurâ exuit! quam innumerabiles Martyrum phalanges è terra ſuſtulit, ut in cælum raperet æternum triumphaturos! ô vim amoris incredibilem! ô ſingularem mortis & amoris contentionem! In his autem ac reliquis omnibus efferendæ ſimilitudinis Biblicæ modis vel præmittitur ſententia ſacra, tandem ſimilia explicantur, vel ſimilitudo præconceptis ab Oratore verbis exponitur, tum ſententia in confirmationem ſubjungitur.

II. *Per Exemplum Biblicum*; dum ad propoſitum noſtrum quà illuſtrandum, quà ſtabiliendum præter ſententiam ſacram adfertur hiſtoria è libris divinis. Sic Cæſar Calini: *Parum refert Auditores vos olim in contuber-*

tubernio aut in scholis celeres in curriculo pietatis progressus fecisse, si postea remisso fervore, aut in via sistatis, vel omnino de semita exerretis. *Enimvero,* qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Notate quid Christus dicat:* hic salvus erit, *quasi diceret qui perseveraverit, hic & non alius salvus erit. In Templo Hierosolimitano studiosè quondam asservatus erat Goliæ gladius; non item Davidis funda. At ego existimâssem honorem hunc fundæ potius, quàm gladio esse deferendum: gladius enim Goliæ servierat ad iniquitatem: funda verò Davidi ad justitiam: ille erat memoria viri audacis; ista probi & sancti adolescentis. Et tamen gladius religiosè in Templo reconditus erat: non autem funda. Cur ita? percipite: noveritis, haud dubito, Gigantem duobus ictibus à Davide fuisse interfectum: primùm funda, quæ impacto mediam in frontem lapide humi Goliam prostravit quidem, haud tamen interfecit. Quare generosus Adolescens gladium pone jacentem arripit, eoque caput Goliæ amputat, ac certamini finem facit.*

Sic est Auditores, non reponitur in Templum funda, quæ cœpit, sed gladius, qui victoriam terminavit, ut quisquis eum conspicatus fuerit, discat: Paradisum non esse hominis pietatis victorias inchoantis, sed terminantis. Qui perseveraverit usque in finem, hic, *& non alius,* salvus erit.

III.

III. Per *Hypotyposim* sive vivam (ut ajunt) facti alicuius Biblici cum protasi & apodosi descriptionem, cujus apud Italos Oratores usus est creberrimus. Fit autem hoc modo: 1. Describitur res gesta vel quasi gesta in protasi non quoad omnes indiscriminatim circumstantias, sed quoad illas maximè, quæ ad finem & apodosim Oratoris sunt valituræ, ut *Personarum* dotes, mores, munia. &c. *Locorum* amænitas, opportunitas, distantia. &c *Eventus* varii, ut tempestates, pugna, pestilentia, fames &c. in quibus non modò adferre licet, quod gestum est, verum etiam, quod in similibus accidere solet. 2. instituitur Apodosis aptè respondens protasi per figuras Rhetoricas, potissimum: Repetitionem, conversionem aut complexionem, sententiam sacram, vel præcipuum ejus vocabulum initio, vel in fine aut utrobique iterando. Exemplum ex Segneri subdit P. Kaprinai (t) *Non me latet communem hanc esse hominum perversitatem, ut qui nullam mali causam præbent, ii plerumque malis moveantur: qui contrà rei sunt, minimè cogitant nec pensi habent, ut incumbentem suis cervicibus calamitatem removeant. Contingit nimirum iis, quod Jonæ fugitivo Prophetæ. Hic* (protasis) *navem conscendit Tharsum appulsurus.*

(t) L. II. p. 3. c. 3. a. 2. §. 2.

surus. Verum ac si cum homine omnis eò calamitas conscendisset, perinde putares. Serenum antea cælum erat; mox atris nubibus obducitur aër, consurgunt venti, mare commovetur, mitiùs primum, post acrius, demum ultima sumit incrementa, ut navim jamjam fluctibus crederes operiendam. Quid nautæ & epibatæ? Hi visa gravissima tempestate terrore perculsi, confestim vela demittere, purgare sentinam, exonerare navim, imperare, consulere, opitulari, accurrere ad temonem, urgere remos, ligare rudentes, suspirare, plangere, clamare. Ecquid interea Jonas? tametsi maxime mali causa foret in fundo quassati navigii altum, & tranquille dormiebat, nec ventorum sibilis, nec undarum mugitu, nec stridore tonitruum, nec fremitu fulminum, nec clamoribus remigum expergefactus dormiebat sopore gravi, adeo, ut navarchus ipse cogeretur dormientem compellare, eumque percutere ac ingestis etiam probris excitare: Et accessit ad eum gubernator & dixit ei: quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus pro nobis, & non pereamus (*u*) *O quàm metuo vehementer Auditores* (Apodosis) *ne fortasse id ipsum contingat nobis. Funesta videmus signa, & portenta. Cælum undique minatur, infremit, excandescit, extrema quæque intentat: an quisquam est, qui placare il-* lud

(u) *Jonæ 1. v. 5.*

lud ſtudeat? ſunt equidem non pauci; ſed ii duntaxat, qui alieno ſcelere patiuntur. Miſeri iſti lacrymis, eleemoſynis, veſte cilicina, jejuniis, flagris in ſe deſæviunt, nec quidquam ſedandæ tempeſtati intentatum relinquunt. Qui porro maximè rei ſunt: uſurarii nimirum, vin dictæ cupidi, blaſphemi, laſcivi, tantum abeſt, ut doleant, quin potius altiſſimè dormiunt, ſuiſque cupiditatibus in ſinu otii, & inter brachia voluptatis indulgent. O Chriſtiani eſtne inter vos ſomnolentus quidam Jonas, cujus culpâ procellæ timeri poſſint, quæ nos abſorbeant? Si quis ejusmodi eſt, edocete me, en ego quàm ocyſſime accurram, eumque prudentis illius navarchi vocibus ſuo è veterano excitabo: Quid tu ſopore deprimeris? ſurge, ſurge, invoca Deum tuum, ſi forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus. Surge *ac deſere infame, quod detines, ſcortum, Deus enim propter luxuriam, & libidines tuas peſtilenti nos lue punit.* Surge (Repetitio) *reconciliare inimico tuo: ecce Deus ob ſimultates tuas, & odia integras hoſtili ferro devaſtat provincias.* Surge, *reſtitue uſuras, en Deus ob avaritiam tuam prædia noſtra ſterilitate flagellat. &c.* Surge *inquam,* ſurge, & invoca Deum tuum, ſi forte recogitet Deus pro nobis, & non pereamus. *Neque enim videtur ad clementiam velle inflecti, niſi eos ipſos ſupplices videat, qui ejus indignationem provocaverunt.*

IV. *Per difficultatem è scripturæ loco propositam & resolutam.* In hoc genere tali ordinariè via proceditur: 1. Præmittitur scripturæ textus unus vel plures si eandem difficultatem involvant. 2. latens in iis difficultas proponitur & rationibus exaggeratur. 3. solvitur difficultas verbis primum Oratoris, dein pro confirmatione adducitur alter locus Sacræ Scripturæ, cui & testimonium Sancti alicujus Patris, præsertim verò in allatam sententiam scribentis & ita perplexitatem istam explicantis subjicitur. Quanquam aliquando alterutrum horum adferre sufficiat. 4. instituitur Apodosis ad propositum materiæ. Ab hac regula nec latum unguem discessit *Makovius* noster: (*x*) in illud: cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi Matt. 11. *Videntes olim Prophetæ Sancti quòd impii ut plurimum in hoc mundo floreant, honorentur & æstimentur; probi verò premantur, irrideantur & exhonorentur: quòd Deus bonos affligi, & in tribulationibus ac ærumnis vitam transigere; malos verò in omni rerum affluentia & prosperitate vivere sustineat, in gravissimas erumpebant querelas, Sic Jeremias clamabat ad Dominum:* (præmittuntur textus) (*y*) Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur

(x) *cit. Conc. 1. in Dom. II. Advent.*
(y) *Jer. 12.*

tur & inique agunt? Lamentabatur Job: Quare impii vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis.(z) Querulabatur Abacuc: Quare non respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se? zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. *Neque mirum* (difficultas eruta ratione exaggeratur) *quod enim bonis reddantur mala, & malis bona, videtur divinæ providentiæ multum derogare, cùm divina Providentia postulet, ut regimen universi sit sapientissimè dispositum; magis autem conforme Divinæ sapientiæ & bonitati videtur esse, ut innocentes non affligantur, & mali castigentur. Verùm* (solvitur difficultas) *hæc omnia esse ordinatissima & à divina providentia procedere omnes Theologi unanimiter fatentur. Nam quod bonis eveniant mala, hoc ad probationem illorum & ad majus meritum cedit. Ut palam* (confirmatur auctoritate Scripturæ) *docet sacra pagina* (a) Quia acceptus eras Domino, necesse fuit, ut tentatio probaret te. *Et hoc voluit* (testimonium) *indicare Boëtius* (b) *illis verbis:* Deus quosdam justos adversis agitari patitur, ut virtutes animi potentiæ, usu atque exercitio confirmentur. &c. *Dat aliquando Deus malis prospera, ut per hoc revocentur à suis malis,* quem

(z) *Job.* 21. (a) Tob. 12. (b) *lib. de consolat.*

quemadmodum docet Boëtius dicens: quod aliquando prospera fortuna mutat mores: ac quia fortunam prosperam metuit amittere, nequitiam dereliquit. &c. *Non dissimiles* (Apodosis) *audio querelas Petri Chrysologi, qui pro S. Joanne Herodem arguit* (c) Herodes, tu adulterium facis, & in carcerem vadit Joannes? - - *Quando in illo generali judicio comparebit homo peccator ante tribunal supremi judicis, non audebit dicere: cur ita facis? quia justitiæ in nullo derogari videbit, utpote multorum criminum reus &c.*

V. *Per novam difficultatem,* quod genus correspondet modo responsionis Philosophorum indirecto scilicet per Retorsionem argumenti. Tractatur ab Oratore sacro hac ratione. 1. Proponitur difficultas. 2. ad illam intelligendam & solvendam adducitur alia difficultas. 3. Ista solvitur è mente cujusdam Ecclesiæ Patris vel scripturæ interpretis, aut gravioris autoris. 4. Resolutio accommodatur priori difficultati. 5. fit Apodosis aptè ad propositam materiam. Hoc genere Amplificationis sum usus in Concione dicta (d) in Ecclesia *SS. Spirit: Can. Reg. de Saxia,* in illud: *vos estis lux Mundi,* Matt. 5. *Tytuł światłości iest tytuł wysoki, tytuł samemu nawet Bogu przyzwoity. Wszakże go sobie sam przywła-* *szcza*

(c) *Serm. 121.* (d) *Die festo S. Aug. A. D. 1762.,* Cracoviæ.

szcza w tak wielu Pisma świętego mieyscah, osobliwie u Jana S. w Rozdziale 8. y 9 Ego sum lux mundi, *tak dálece że w Rozd. 1. S. Janowi tey ták zacney prerogatywy ubliża, mowiąc, iż nie był on światłością, ale áby świadectwo dał o światłości &c.*

Proponitur prima difficultas. *Rzeczecie, ponieważ tytuł światłości iest ieden z właściwych Bogu, zácoż Chrystus Pan w dzisieyszey Ewangelii przypisuie go Apostołom, y wszystkim po nich nástępuiącym Ewángelicznym Doktorom, názywaiąc ich światłością świátá:* vos estis lux mundi?

Proponitur nova difficultas. *Pytam ia się też wzaiemnie, ponieważ sam Zbawiciel Jezus u Łukasza S. w Rozd: 18. dobroć samemu tylko Bogu przyznaie:* nemo bonus nisi solus Deus, *zacoż Księga Rodzaju wszystkiemu stworzeniu dobroć przywłaszcza:* (e) Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona? Solvitur posterior difficultas è mente Ecclesiæ Patris. *Odpowiedzieć mi musicie według zdánia wielkiego Doktorá, ktorego dziś uroczystą Kościoł powszechny pamięć obchodzi, Augustyná Swiętego, iż sam Bog iest dobry istotnie, sam przez się, dobrocią od nikogo nie pochodzącą, to iest, iako mowią Teologowie:* bonus per essentiam. *Rzeczy záś od wszechmocnosci Boskiey z niczego wyprowádzone są dobre dobrocią od Stwor*

(e) *Gen.* 1.

*cy swego udzieloną:*bona per participationem, *Że ta iest náuka wspomnionego Doktora, wydaie się z słow Jego:* (*f*) Bonus est Dominus, sed bonus, non ut sunt bona, quæ fecit, - - - ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Resolutio accommodatur priori difficultati. *Tá odpowiedź wászá iest oraz odpowiedzią ná zárzuconą mi przez wás wątpliwość. Mowię tá też podobnie, że być świátłością, nie tą máteryálną, iaką iest Słońce, ale Mistyczną, ták iest przez się właściwa Bogu, że też przez uczęsnistwo może służyć spráwiedliwym y mądrym ludziom, bo im to iest przez Dánielá przepowiedziáno:* (*g*) Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Fit Apodosis ad S. Augustinum, ex qua eruitur Propositio tripartita. *Atoli do tego áby się komu świátłości tytuł mogł przypisáć, potrzebá áby się w nim właśności świátła przez podobieństwo znáydowáły. Te zaś widziemy wszyscy nie inne są tylko: iaśnieć w sobie, oświecáć inne objecta, y zápaláć. Słusznie więc świátłości tytuł dzisieyszemu Solennizántowi Kościoł Boży y Swięta przyznaie Ewángelia, gdyż on te trzy świátła właśności w sobie zámknął. y toć to iest czego iá w dálszym dyskursie przy pilney pobożnego*

(*f*) in Psal. 134. (*g*) Dan. 12.

go Słucháczá attencyi dowieść się spodziewam, gdy w trzech pokażę częściách: iz Swięty Doktor y Patryárchá Augustyn, iako Swięty: iaśniał sam w sobie prześwietną życia świątobliwością; iako Doktor: oświecał świat cáły iasney nauki doskonáłością: iako Pátryárchá; zápalał sercá do służenia Bogu gorącego Duchá gorliwością. Te ácz trzy, ále krotko zebráne punktá będą cáłą wászey uwagi, à moiey mowy máteryą. Bogu ná większą Chwałę.

Reliqua hujusmodi Amplificationum genera cum sint tam protensa, ut integris Concionibus construendis sufficiant, referentur infra, ubi varii concionandi modi recensebuntur. (*h*)

Q. Nullumne est vitium in Amplificatione sacræ orationis propria fugiendum?

℟. Tria præcipuè cavenda sunt: 1. ne profana *eruditione abutamur*, frequenter excurrendo ad descriptiunculas, historiolas, apophtegmata &c. flores, gemmas, adamantes, cedros &c. cum sacris Mysteriis conferendo, Christum cum Orpheo, Atticum cum Paulo, cum Petro Thucydidem & Lucam cum Apolline comparando. 2. Parcè utendum putaverim *conceptibus scripturisticis*, ne totam orationem in Mystico, Anagogico & Tropologico sensu ædificemus, alias sermo noster non esset accommodatus ad captū rudis

(h) L. 3. c. 2.

rudis plebeculæ, è qua, si finita istiusmodi concione interrogetur quispiam, quid didicerit? nihil respondebit, aut respondebit: nihil. 3. Sententiarum seu è divinis libris seu è SS. Patribus depromptarum multitudine suam & Auditoris mentem obruunt alii, absque eo, quòd illas amplificent, sed tota fere concio sunt ipsa scripturæ & Patrum testimonia Latinè & vernaculè prolata. Quod improvidè facere videntur; non enim hac ratione auscultantes movebunt, cùm alioqui unica sententia Oratoriè amplificata majorem in animis illorum impressionem fecisset: sicut unum telum dextrè libratum altiùs penetrat, quam ingens spiculorum fascis temere in altum conjectus.

CAPUT III.

DE AFFECTIBUS

ARTICULUS I.

De Affectibus universè

Q. Estne aliqua necessitas movendorum affectuum?

R. Cùm homines sic à natura sint comparati, ut meliora licet videant probentque, deteriora tamen sequantur; nunquam Orator cœtus mortalium tenebit, nec volun-

luntates, quo voluerit, impellet, qui non istam tractandorum affectuum artem; noverit. Quapropter monet D. Aug: (*i*) *Probet Orator, ut instruat: delectet, ut teneat: moveat, ut vincat.* Et Cic. inquit: (*k*) *omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, penitus pernoscendi, quòd omnis vis ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis, aut excitandis exprimenda est.* Huc igitur incumbat Orator, hoc opus ejus, hic labor est, sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, & ingrata sunt, adeo velut spiritus operis hujus & anima est in affectibus. Exhortatur *Quinctil. l. 6. c. 2.*

Q. Utique Plato, Aristoteles & Stoici affectus in Oratore non probant?

℞. Ii loquuntur de Oratore forensi, qui cùm rarò fuerit vir bonus, hoc unum spectans, ut causam vinceret, tenebras offundebat Judici, mentemque ipsius de tranquillo statu vitio quodam deturbabat. Quamobrem eloquentia hæc civilis haud longô post Christum natum intervallô in foro conticuit, & vehementius abhinc sacris in exedris tonare cæpit. Ubi facultas ciendorum affectuum omnino necessaria est. Tum quòd crassam & oscitantem turbam citius inflammes, quàm doceas; tum quòd potior pars

(i) *de doctr. Christ. c. 13.*
(k) *L. 1. de orator. n. 17.*

pars populi magis peccet affectu corrupto quàm veri ignorantiâ. Veluti ebrietatem, luxuriam, lucrum fraude partum grandia esse crimina nemo nescit, nihilominus pravæ cupiditates perversos rapiunt ad ea, quæ ipsimet non probant. Proinde convenit affectus affectibus velut clavum clavo pellere.

Q. Quid est affectus?

℞. Cum Quinctil. *l. 6. c. 7.* Est motus animi ex apprehensione boni vel mali exortus. Quanquam descriptione ista potissimum animi passiones in appetitu (ut loquuntur Philosophi) *sensitiva* constitutæ à Rhetoribus intelliguntur, sacro autem Oratori affectuum nomine quivis Christianæ virtutis sive *Theologicæ* sive *Moralis* tam actus quam habitus veniunt.

Q. Quotuplex est affectus?

℞. Duplex: *Lenis*; qui placidè afficit animum: & *vehemens*, qui acriter & vehementer impellit. Uterque aut clam & occultè, aut palam & apertè excitatur.

Q. Quæ requiruntur in Oratore, ut in Auditore affectus ciere valeat?

℞. Hæc: I. *Innocentis vitæ existimatio: Quis enim* inquit Ambrosius (l) *è cæno fontem? quis ab aqua turbida potum petat? quis utilem alienæ causæ judicet, quem videt inutilem vi-* ta

(l) 2. *Offic. c. 2.*

tæ suæ? sine hac virtutis commendatione histrionem aget, non Oratorem.

II. *Auctoritas*; nam quæ à levioribus audiuntur, prætervolant aures audientium.

III. Ut indolem eorum perspectam habeat, quibus aliquem motum imprimere intendit, ad quasnam scilicet perturbationes naturâ sint proniores; *Facilius est enim* (inquit (m) Cicero) *currentem, ut ajunt, incitare, quàm commovere languentem.* Bene ergo attendendum est, quo affectu ii, ad quos verba facturus prodis, ducantur; quidam enim honestate, alii utilitate, alii jucunditate capiuntur. Aliis rebus Juvenes, aliis senes, aliis viri, aliis fæminæ, aliis barbari moribus & feri, aliis politi & urbani, aliis rudes, aliis sapientes & docti permoventur.

IV. Ut qui movere alios vult, vehementer ipse commoveatur. *Neque enim fieri potest*, ait Tullius (n) *ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos Orator adhiberi volet Judici, in ipso Oratore impressi esse, atque inusti videbuntur.* Præclarè ad hanc rem Fabius (o) *Et luctus, & iræ, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba, vultumque tantùm, non etiam animum accom-*

(m) *de Orat. n. 64.* (n) L. 2. de Orato. *n. 189.* (o) L. 6. c. 3.

accommodaverimus. - - nec incendit, nisi ignis, nec madescimus, nisi humore, nec res ulla dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Concinnè & Horat. (p) *Si vis me flere, flendum est priùs ipsi tibi.*

V. Oratio; quapropter D. Augustin: (q) inquit: *Nihil potest statui opportuniùs, quàm quòd præcones verbi Dei, ante ipsum verbum orationem instituerint.*

VI. Ut rationibus naturalibus, fortibus & convincentibus sui propositi suadeat veritatem, exempló Christi, qui dùm præcepit (r) nobis, ut inimicos diligeremus, etiam causas allegavit. Idem reperias apud Apostolum plerisque in locis, multò magis apud sacros Doctores. Nam cùm homo rationalis sit, arte & rationibus vivit secundùm Philosophi sententiam.

VII. Vehementiùs urget sermo procedens in secunda Persona, veluti Concionator unum peccatorem alloqueretur.

Q. Quî fieri poterit, ut Orator, qui non suam, sed alterius causam agit, quando & quomodo velit, afficiatur?

℞. Præscribit rationem Fabius, (s) nempe 1. ut imagines rerum absentium ita repræsententur animo, ac si eas oculis subjectas & præsentes haberemus. 2. Ut non agamus rem quasi alienam, sed veluti nostram,

(p) *in arte Poët.* (q) *de doctrina Christ. c.* 15.
(r) *Matt.* 5. (s) *L.* 6. *c.* 3.

ſtram, ſequetur, quòd ita dicemus, ſicut in ſimili noſtra fortuna dicturi eſſemus. Cæterùm cùm Eccleſiaſtes ſpiritualia tractet, quæ non modò ſenſibus non ſubſunt, aſt plerumque iisdem adverſantur, captūque noſtrum excedunt, non ars humana ſed divinus Spiritus ſibi opus eſt, qui afflatu ſuo eò animos auſcultantium inclinet, quò ille ſermone eosdem dirigit.

Q. Uter Orator utiliùs & faciliùs affectus Auditorum ſollicitat?

℟. Sacer; nam quo ad primum, cùm ei, ut omittam turbam vicanorum & agricolarum, etiam cum pueris, ſenibus, induratis peccatoribus ac inculta plebe res ſit, è quibus plerique paſſim ſunt indociles, ad hos corrigendos plus momenti afferet movendo, quàm docendo. Quoad ſecundum; tum quia pleraque de quibus Eccleſiaſtæ dicendum eſt, ſunt indubitatæ veritatis, etiam iis, quæ oculis cernimus, certiora: tum quia magnitudine ſua, omnia, quæ vel accidunt in rebus humanis, vel à facundis hominibus conſultò ad movendum conficta ſunt, longè ſupergrediuntur.

Q. Multùm ne refert Concionatoris, ut ſciat affectus hominum moderari?

℟. Tantò meliorem ac ſaluti animarum utiliorem futurum Eccleſiaſten, quantò quis

per-

perfectiùs, affectus in Auditore excitare, illos variare, Schemata, (de quibus *Lib. IV.*) accommodare quà arte, quà Spiritus diviniſſimi inſpiratione noverit. Non enim elatione duntaxat vocis, inconditisque clamoribûs, non manuum compoſitione, non valida pulpiti percuſſione, non corporis agitatione, non larvarum aut Calvariarum oſtentatione, non affectata figuræ Crucifixi exhibitione Auditor commovetur. Simpliciores hæc percellere poſſunt, ſapientioribus autem riſum aut bilē conciunt. Imò ſi Prædicatori tantum ætatis, auctoritatis aut virtutis non ſubſit, etiam à rudioribus hunc ipſius zelum riſu excipi teſtis ſum oculatus.

Q. Quæ ergo circa exciendos affectus ſunt ſervanda, ut ex arte fiant?

℞. 1. Ne unquam in affectum præſertim graviorem prorumpat Orator, niſi argumento rite deducto & amplificato. 2. ne à longè petantur aut violentè intrudantur, vel ſtatim apertè animis Auditorum vim inferant, ſed clanculum primo illis ſese inſinuent. 3. In exordio adhibendi leniores. In confirmatione plures in partes exdiviſa, cujuslibet complexioni, quin etiam Aſſumptioni, ſi illic digreſſio fiat ad mores, paulò graviores affectus ſubjiciantur, nondum tamen tam vehementes, quàm in

Epi-

Epilogo institui solent & debent. Sicubi, hic mehercule Ciceronem legere, mirari, & imitari cuivis Oratori expediret. 4. ad extremum ne eodem semper modo tractentur, neve aut justo longius protrahantur; nam diuturnitate langvescent: aut nimis concisè proferantur: ut Auditoris expectationem non fallant.

Q. Num cuivis orationum generi quodvis affectuum genus æquè convenit?

℞. Minimè. Sed in *Didactico*, ubi docemus, affectibus parciùs utendum: in *Panegyrico*, ubi delectare cupimus, usurpantur plures sed lenes: in *Morali*, ubi maximi momenti res discutiuntur, in frequentiores longeque vehementiores affectus assurgat Orator, eosque pro thematis diversitate diversos. Quapropter Ecclesiastes priusquam concionis structuram aggredietur, invento themate (Propositionem intelligo) ante vel post constitutam partitionem atque confirmationis argumenta, statim dispiciat, qui & quales affectus movendi, aut sedandi erunt, locumque ipsis destinet, & rationes, quæ præter principalia orationis argumenta poterunt addi novæ tali affectui propriæ maximè in epilogo, qui vehementiorum affectuum sedes est potissima.

Q. Unde sumuntur affectus?

℞. Ex iisdem ferè omnibus locis, quibus

Argu-

Argumenta, hic tamen regnant adjuncta Personarum, & circumstantiæ loci temporis. &c. Item Biblicæ & Patrum sententiæ adhortantes, increpantes, interrogantes, obsecrantes, minitantes &c. quæ ex libris Prophetarum, maximè *Isaiæ* & *Jeremiæ*, è Psalmis *David*, & epistolis *D. Pauli* tum libro *Jobi:* nec non ex sermonibus SS. Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Bernardi &c: erui posiunt, quin & exempla haberi.

Q. Quot sunt affectus?

R. Alii plures, alii statuunt pauciores. D. Thom. & alii numerant passiones 11. quarum sex consistunt in appetitu concupiscibili: *amor*, *desiderium* & *gaudium* circa bonum: *odium*, *fuga*, *tristitia* circa malum; quinque in appetitu irascibili: *spes* ac *desperatio* circa bonum arduum; *timor*, *audacia*, & *ira* circa malum pariter arduum. Plato in *Thaeteo* commemorat eas affectiones, quæ nomen habent, multas esse, quæ nomine carent, infinitas. Jam verò in *Thimæo* sex assignat. Tullius (*t*) sic varios affectus indicat: *Huic autem est illa dispar adjuncta ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes Judicum permovet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut spernant, aut cupiant, aut abhorreant, aut* mare-

(t) L. 2. de Orat. n. 64.

mareant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos motus deducantur, si qui finitimi sunt & propinqui his ac talibus animi perturbationibus.

Q. Num iidem sunt affectus à Concionatoribus, qui à profanis Oratoribus movendi?

℟. Iidem sed non omnes nec eodem modo sumpti; non enim desperatio aut invidia hic propriè locum habent, nisi ut sedandæ. Nec *amor* hominis, quem laudemus, sed Dei & virtutum; nec *Desiderium* bonorum temporalium, sed æternæ beatitudinis; nec sensile sed Spirituale *gaudium*; nec *odium* proximi contra quem agamus, sed peccati; nec *fuga* adversitatum, sed occasionum delinquendi; salutaris *tristitia*, *ira* contra scelera, *lenitas* in corripiendo, *audacia* in resistendo hostibus animæ, *Timor* Dei vindicis, *spes* in ejus misericordia, *commiseratio*, cæterique affectus, qui ad hos commodè referri possunt, imo (ut jam dixi) quarumvis virtutum, ut Fidei, spei, charitatis; vel patientiæ, humilitatis, obedientiæ &c. actus ab Ecclesiaste sunt excitandi. De singulis itaque, harum 12. Perturbationum, brevissimè propositi mei memor paucula attingam. De virtutum exercitio idem judicium esto.

ARTICULUS II.

De præcipuis affectuum speciebus theoricè.

AMOR DEI ET VIRTUTUM

Q. Quid est amor Dei?

℟. Est motus animi, quô Deum supra omnia propter se, nos autem ipsos & proximum propter Deum efficaciter amamus. Hinc S. Aug. (*u*) inquit: *Ex una eademque charitate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem & proximos propter Deũ.*

Q. Qui sunt stimuli amoris Divini?

℟. 1. Immensa Dei bonitas, qua in se adeò bonus est, ut ejus comparatione nihil bonum esse dicatur: (*x*) *Nemo bonus nisi solus Deus.* 2. Ejusdem amor nostri mutuam amoris vicem à nobis postulat, cùm ita nos dilexerit, ut Filium suum unigenitum daret. (*y*) *Majorem autem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* 3. *lenitas & mansuetudo* Salvatoris, quam etiã nos edocet. (*z*) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* 4. *Cognatio;* (*a*) *& nunc Domine Pater noster es tu, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Item (*b*) *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille meus Frater, soror, & Mater est.*

5.

(u) *L. 8. de Trinitate c. 8.* (x) *Luc. 18.* (y) *Joan, 15.* (z) *Matt. 11.* (a) *Isai. 63.* (b) *Matt. 15*

5. *Beneficentia*; gratâ scilicet recolendo memoriâ innumera beneficia corporis & animæ, naturæ & gratiæ, nota & ignota, communia & personalia, inter quæ maximum est redemptionis nostræ beneficium. Verbo complectar, quidquid sumus & possidemus, ejus gratia sumus & possidemus. 6. Quidam addunt *Pulchritudinem*; sed diligenter cavendum est, ut ne irrepant profani amoris & corporeæ pulchritudinis exempla, proprietates, descriptiones &c. hæc enim naturam ad vitium aliunde proclivem irretiunt & maculant. 7. Ingentia, quæ ipsum diligentibus præparavit, præmia.

Q. Quando Concionatori offertur occasio, ut ad virtutis amorem Auditores excitet, & quibûs motivîs id perficere conabitur?

℟. Tunc præcipuè, cùm de insigni quadam virtute sermo habetur, aut excellens factum alicujus sancti celebratur. Hic namque expedit, mortalium animos afficere, & quantum fieri potest, ad amandam atque amplectendam virtutem inflammare. Ad hanc rem valebunt rationes sumptæ ex Locis, quibus Oratores ex petendum aliquid suadent, nimirum: Ab honesto, religioso, necessario, utili, facili. Item à Causis, circumstantiis, adjunctis antecedentibus, consequentibus &c

DESIDERIUM ÆTERNÆ BEATITUDINIS.

Q. Quid eſt Deſiderium?

℞. Eſt quidam productus Amor, ſeu appetitus boni abſentis, quatenus bonum eſt.

Q. Quomodo accendendum æternæ beatitudinis Deſiderium?

℞. Iisdem ferè igniculîs quibus amor. Præterea ineffabilis felicitatis deſcriptione juxta Apoſtol: (c) *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Tandem ſpe facile eandem conſequendi erecta, nihil enim exigitur amplius, niſi ut adimpleamus ea, quæ nobis præcipiuntur. (d) *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

SPIRITUALE GAUDIUM.

Q. Quid eſt Gaudium?

℞. Eſt motus animi, ſeu ſenſus boni præſentis quatenus præsens eſt.

Q. Unde ſpiritualis in nobis lætitia naſcitur?

℞. Ex omnium ſapientum conſenſu nulla verior ſolidiorque voluptas, quàm quæ à virtute profluit; non enim ibi eſſe poteſt ſerenæ mentis malacia, ubi conſcientia ſcelerum teſtis mentem aſſiduò torquet ac perturbat. (e) *Non eſt pax impiis.* Tam cla-

(c) 1. *Cor.* 2. (d) *Matt.* 19. (e) *Iſai* 48

clara eſt hæc veritas, ut profanæ ſapientiæ duces eam docuerint. Ariſtot: ait: *improbos nullam poſſe lætitiæ voluptatem ex ſe capere, quòd illorum animus continuò velut diſſidiô & furioſa perturbatione commoveatur.* Seneca quoque (*f*) ſuum Lucilium edocet: *Fundamentum bonæ mentis quid ſit, quæris? ne gaudeas vanis, - - - ad ſumma pervenit, qui ſcit, quo gaudeat: qui felicitatem ſuam in aliena poteſtate non poſuit. Sollicitus eſt & incertus ſui, quem ſpes aliqua proritat. Ad verum bonum ſpecta & de tuo gaude. Quid ſit iſtud interrogas, aut unde ſubeat? dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore unam prementis viam.* Venuſtè ac ſapienter S. Proſper (*g*)

Felices verè faciunt ſemperque beatos
De vero & ſummo gaudia capta bono.
Nam mundi ex opibus brevis ac peritura voluptas
Edita perpetuo ſemina mortis habet.
Non placeat vanis animum ſubmittere rebus
Peſtiferisque avidam mentem onerare cibis.
Cor mundum & ſapiens fructu virtutis alatur
Et Chriſti in noſtro pectore regnet amor.
Quo ſemel impletus nunquam vacuabitur illo
Æterna æterni flumina fontis eunt.

Nec minus acutè Idem ſcribit (*h*) *Gaudium non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia.*

(f) Ep. 23. (g) Epigram. 79. (h) Epiſt. 59.

tia. Illud quod Deos Deorumque æmulos sequitur, non interrumpitur, non desinit. Desineret, si sumptum esset aliunde, sed quia non est alieni muneris, nec arbitrii quidem alieni. Quod non dedit fortuna, non eripit.

Q. Quibus in concionibus motio gaudii locum habet?

℞. In *Panegyricis* de laudibus Sanctorum & *Eucharisticis*, dum instituitur gratiarum actio pro obtentis beneficiis, ut pro victoria, pace, &c. Item pro publica calamitate vel illius periculo *vg.* pestis, belli, famis &c. averso aut depulso.

ODIUM PECCATI.

Q. Quid est Odium?

℞. Est motus animi, quo se avertit ab eo, quod malum est, vel tale esse putatur.

Q. Utrum persona vitiis dedita, vel certè ipsius vitia odio nobis esse debent?

℞. Profani Oratores reos potissimùm in odium adducunt apud Judices: at Doctoris Evangelici est potius dolere miseram illius sortem, quem videt sordibus inquinatum, quàm odisse, cæterisque eum ob animi cæcitatem, atque voluntatis à recto virtutum calle aberrantis imbecillitatem commiseratione digniorem quàm odio persuadere. Quam in rem benè Gentilis licet Philosophus Seneca (*i*) *Non est pruden-*

tis

(i.) *1. de ira c. 4.*

tis errantes odisse: alioquin ipse sibi odio erit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat, quàm multa ex his, quæ egit, veniam desiderent, jam irascetur etiam sibi. Neque enim æquus Judex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam ferri: nemo inquam invenitur, qui se possit absolvere: & innocentem quisque se dicit, respiciens testem non conscientiam. Quantô humanius mitem & pacatum animum præstare peccantibus, & illos non persequi sed revocare? - - - corrigendus est itaque qui peccat, admonitione & vi, & molliter & asperè, meliorque, tam sibi quàm aliis faciendus non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim, cui medetur, irascitur? Non ergo in quascunque Personas sceleratas, sed in scelera in communi odium Auditoris prudens Ecclesiastes inflammabit.

Q. Quô pactô Evangelicæ perfectionis Prædicator vehemens peccati odium accendet?

℞. Haud difficili negotio id præstabit. Nemo enim, quantumcunque improbus ipse sit, aliorum crimina non detestatur. Quinimo flagitiosus homo alterum flagitiis deditum ceu rivalem suum æquô animô ferre nequit. Exponat tantummodo sacer Orator naturam peccati, quòd sit offensa Dei infinitè boni; ejus malitiam, turpitu-

pitudinem, gravitatem, quod uſque Deum-Hominem expoſcebat Mediatorem; ejus funeſtiſſimos effectus: quòd nos ex Dei amicis faciat inimicos, rebelles, hoſtes; gratiâ nos ſpoliet, æterna felicitate privet, ſempiternis addicat ſuppliciis. Ex his ferè fontibus D. Anſelmus (k) animam peccati mortalis ream mirificè exagitat: *Aperi oculos anima miſera & vide, quid fuiſti olim, & quid nunc es? Eras Sponſa Altiſſimi, eras Templum Dei vivi, eras vas Electionis, eras Sedes ſapientiæ, eras Soror Angelorum, eras hæres Cælorum: Ecce cùm hæc omnia fueris, quæ dixi, quoties dico eras, eras, toties tibi lacrymandum eſt, dum ſubitam tuam cogitas mutationem. Sponſa Dei facta es adultera Diaboli, Templum Spiritus S. mutatum eſt in ſpeluncam latronum, vas electionis in vas corruptionis, - - - Plange itaque ſuper te ô anima miſera! plange! quia te plangunt Angeli, quia te plangunt Sancti, te plangunt guttæ ſanguineæ Chriſti Domini, quia peccâſti, & mali illius, quod commiſiſti, pænitentiam non egiſti.* Hactenus D. Anſelmus.

FUGA OCCASIONUM DELINQUENDI.

Q. Quænam eſt natura fugæ?

℟. Fuga ex odio profecta tendit in malum, ſive

(k) *de ſimil. c. 190.*

ſive à malo recedere fugiendo ac deteſtando conatur.

Q. Qua ratione fuga periculi peccandi concitabitur?

℟. Exaggeratâ ut ſupra peccati malitia, nec non certa proximis peccandi occaſionibus ſeſe ingerentium pernicie juxta illud Eccli: 3. *qui amat periculum peribit in ipſo*, illarum fuga apprehendi ſolet, quanquam cæca aſsuetorum libido & his plerumque pertinacius reluctetur.

SALUTARIS TRISTITIA.

Q. Quid eſt triſtitia?

℟. Eſt intimus animi ſenſus ex præſenti malo natus.

Q. Quæ triſtitia utiliſſima?

℟. Cum S. Chryſoſtomo (1) *inutile prorſus eſſe tormentum, niſi quod ad eluendas peccati ſordes adhibueris. Videamus quid ex triſtitia fiat utilitatis. Mulctatus eſt quispiam pecuniis. Triſtatus eſt, mulctam non emendavit: filium amiſit; doluit, mortuum non reſuſcitavit, nec defuncto profuit. Flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumeliis affectus; doluit, non revocavit contumeliam, valetudinem quis incidit & ægritudinem graviſſimam; doluit, ægritudinem non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Vides horum nihil prodeſſe triſtitiam? Peccavit quis, triſtatus eſt; peccatum*

(1) *Hom. 5. ad Pop.*

tum delevit, dissolvit delictum tristitia. Certum, quod propter hanc solam causam facta est. Ne ampliùs igitur pecuniarum jacturam doleamus, sed cùm peccamus tantùm, doleamus. Multa enim hic ex tristitia utilitas.

Q. Quibus modis hæc tristitia elicitur?

℟. Vel proposita turpitudine peccati ac timore pænarum à Deo infligi solitarum, & tunc est dolor imperfectus seu *attritio*: vel provenit ex amore Dei offensi, vocaturque dolor perfectus sive *contritio*.

IRA CONTRA SCELERA.

Q. Quid est ira?

℟. Aristot: iram definit, quod sit ulciscendi sui cum dolore conjuncta cupiditas.

Q. Estne hæc animi motio viro digna, necessaria vel utilis?

℟. Affirmativè quo ad omnia puncta, si modò nec Dei legem, neque rationis cancellos prætergrediatur. Hinc D. Greg: (m) iram *virtutis instrumentum nominat*. D. verò Basilius *bonarum artium ministram*. Sed præclarè ad institutum meum D. Diadocus illam *præsidium innocentiæ, naturæ telum appellat. Cùm graviter peccato irati sumus, illud fæmineum quod in ira inest, virile facimus: adjiciam quid gloriosius, illud ferinum, quod in ira inest Divinum facimus.* Sanè absque ejus succursu & bonus Pater in disso-

(m) 5. *Mor.* c. 32.

dissoluto Filio, & patiens herus in effrenato servo, & indulgens superior in licentioso subdito, & benignus Magistratus in Populo ad multa mala conniverent, pro quibus eos pœnas dare expedit.

LENITAS IN CORRIPIENDO.

Q. Quid est lenitas sive mansuetudo?

℟. Est depressio iræ, animique sedatio, proinde non tam virtutem, quam actionem significat, quâ placantur vehementiores furoris motus, nec tam perturbatio, quàm perturbationis eversio dicenda est.

Q. Quis est usus istius Affectus?

℟. Profano quidem Oratori frequentissimus; quoties nempe elaborare debet, ut excitatam in adversariis iram extinguat, & Judices ad clementiam revocet, nec sacro nimis rarus; sicut equidem solus non lenis, sed ipsa debet esse lenitudo: ita feroces aliorum sævientium animos ad clementiam cohortetur est necesse.

Q. Quibus mediis mitigatur iracundia?

℟. 1. interpositâ morâ. 2. priùs aliqua afferenda, quæ justam esse effervescendi causam insinuent, mox subjicienda temperandi impetus potiora momenta, qualia sunt: Meritum coram Deo, confessio Rei, dolor, humilis animi demissio, amoris significatio, virtutis commendatio &c.

Ex

Ex parte autem Personæ offensæ animi de se triumphantis magnitudo, quam in Cæsare ad sidera tollit Orator Rom. (*n*) adeo ut talem hominem cum superis conferre audeat: *Animum* (inquit) *vincere, iracundiam cobibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparabo, sed simillimum Deo judico.*

AUDACIA IN RESISTENDO HOSTIBUS ANIMÆ.

Q. Quid est audacia?

℞. Est generosi animi commotio adversa vel non futura, vel longè remota contemnens.

Q. Quibus cum hostibus homini fortiter in Spiritu est decertandum?

℞. Isti sunt capitales: Mundus, caro & satanas.

Q. Quænam sunt illa, quæ Christianum pugilem contra tantos hostes audacem reddant?

℞. 1. Optio, aut in æternum pereundi, aut hostes istos strenuè profligandi. 2. æquitas & honestas causæ; quid enim æquius honestiusque existimes, Deo an mundo, spiritui an carni, cælorum incolis an habi-

(n) *pro M. Marcell.*

habitatoribus inferorum famulari? 3. Spes pro momentaneo conflictu æviternæ gloriæ & triumphi.

TIMOR DEI VINDICIS.

Q. Quid est Timor?

℟. Est perturbatio animi ex opinione tanti mali impendentis orta, quod aut interitũ nobis, aut dolorem afferre possit.

Q. Quando metûs excitatio in oratione adhibenda?

℟. Hic affectus oratori profano in Genere Deliberativo frequens est; sacro autem ubique & semper debet esse familiarissimus. Est quippe utilissimus ad obdurata peccatorum corda emollienda. Nam cùm homines sint nimium sui amantes, etiamsi Dei amore destituantur, tamen ex dilectione sui vehementer sibi noxia perhorrescunt. Atque ideò Vincentius Confessor infinitam propè hominum multitudinem ad veram pænitentiam traxit, quòd vehementem Divini judicii ac æternorum gehennæ suppliciorum formidinem frequentissimè auditori incusserit. Idem faciat, qui idem efficere volet, velle autem quilibet Præco Evangelicus debet.

Q. Quibus potissimum ad Divinæ justitiæ timorem inducimur?

℟. Maximè nos percellunt sequentia: mortis

tis inevitabilis necessitas, strictæ rationis reddendæ meditatio, horribilis extremi ac universalis judicii severitas, peccatorum multitudo, incertus nostrum status, num amore vel odio digni simus, denique ingentium tormentorum tota æternitate sufferendorum atrocitas inenarrabilis, quæ nunquam satis amplificari potest. Tantum enim abest, ut majorem, quàm re vera est, describendo exhibeamus, ut ne quanta in rei veritate sit, assequi ullo modo possimus, imò hæc, quæ de re ista narramus, eorum, quæ narranda supersunt, pars minima sunt.

SPES IN MISERICORDIA DIVINA.

Q. Quid est Spes?

℟. Est motus animi in bonum absens & obtentu difficile non tamen impossibile.

Q. Quomodo præcedens timoris affectus cum isto spei sit conciliandus?

℟. Cùm sinceri Dei Ministri plurimum intersit, neminem in desperationem atque adeò interitum conjicere, operæ pretium est, ita utramque hanc passionem moderari ut altera alteram non excludat, quin complectatur.

Q. Qua ratione in spem erigendi Peccatores desperantes?

℟.

℞. Præter exempla Magdalenæ, Dismæ & aliorum, qui non obstante criminum quà multitudine, quà gravitate in puncto temporis remissionem fuerunt consecuti, præstò sunt plurimi Scripturæ loci infinitam Dei misericordiam deprædicantes; ut (o) *Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera.* (p) *Multæ misericordiæ ejus.* Efficax mihi fore videtur ingenua illa Pauli confessio (q) *Et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus naturâ Filii iræ, sicut & cæteri. Deus autem, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*

COMMISERATIO.

Q. Quid est commiseratio?

℞. Est compassio alienæ miseriæ, sive dolor aut ægritudo animi ex malo alterius injuriâ laborantis proveniens. Hinc qui nihil unquàm passi sunt, minùs alienis doloribus commoventur.

Q. Quis est usus istius motus?

℞. Oratori civili præsertim in causis judicialibus frequentissimus, cùm reum defendenti Judicum animi ad misericordiam sunt flectendi. Hunc affectum conquestio-

(o) *Num.* 14. (p) *Reg.* 24. (q) *Eph.* 2.

ſtionem vocat Tullius, de qua fusè agit. *Lib. 1. de Invent.*

Q. An non etiam in Spirituali ſermone hic animi motus incidit?

℞. Haud rarò. Nimirum cùm vel Dominicæ paſſionis acerbitatem vel ſacratiſſimæ virginis dolorem amplificamus, vel Martyrum carnificinas deſcribimus. Cavendum tamen eſt Eccleſiaſtæ, ne hæc vulgari more deploret, ſed potiùs id agat, ut illorũ admiratione ad æmulandi ſtudium Auditor rapiatur. Tandem dum ad ſublevandam egenorum inopiam Fidelium animos Concionator inclinare contendet, eadem permotione opus habebit.

Q. Quibus induſtriis concitatur miſeratio?

℞. Has ſufficienter enumerat Cic. modò laudatus, quæ omnes ad locos communes referri poſſunt, per quos fortunæ vis in omnes, & hominum infirmitas demonſtratur. Addet Eccleſiaſtes præcepta Divina, quæ jubent, ut miſericordiâ erga proximos ducamur; promiſſiones, quæ his propoſitæ ſunt, qui fuerint miſericordes; inſuper circumſtantias Perſonarum miſerabilium.

Q. Utrum dentur præterea alii affectus, qui Concionatoribus ſint in uſu?

℞. Dantur complures, ut admirationis, gratiarum actionis, gratitudinis, imitationis &c. in quibus juxta dicta de affectibus gene-

generatim, & de his speciatim procedet Ecclesiastes. Cæterum ne in parte Oratoris potissima, ejus industriæ juvandæ deesse videar, sit.

ARTICULUS III.

De quibusdam Affectuum speciebꝰ practicè.

Q. Cupio doceri, quomodo præscriptæ de affectibus regulæ ad praxim sint deducendæ?

℟. Id quidem felicius ex observatione exemplorum in præstantioribus recentioris præpræsertim ævi Oratoribus condiscet tiro, quàm ex præceptis. Eminet hac in re *Paulus Segneri* aliique potissimum Itali Oratores. Hos legendos suaserim ei, qui patheticus evadere voluerit. An vero *Prophetarum* Libri, D. *Pauli* epistolæ, laudatorum SS. Patrum monumenta in exciendis animi motibus languescunt? Non oberit etiam Ascetas, sacras meditationes, exercitia aut lectiones eum in finem revolvisse. Præterea non desunt, qui eliciendarum affectionum formulas & paradigmata porrexerint. Hos inter computantur *Nicolaus Avancinus* in vita & doctrina Jesu Christi & Mathias *Heimbach* in sua Christiana Rhetorica. Hos igitur cæterosque similes legendo cælestis eloquentiæ candidatus diligenter observet, quibus industriis affectus concitent, eos

secuturus. Imo in adversaria aliquo ex præmissis de ratione excerpendi modo con fecta quædam illustriora conferat, opportunè posthac suis concionibus applicanda. Plurimum tandem si meo judicio standum sit, juvabit, inter alias orationis partes, pro exercitationibus scholasticis tironibus tradendas, ciendorum quoque affectuum paradigmata suis locis proponere tali vel simili ratione.

I. Paradigma: affectus amoris erga DEUM. *Thema: Człowiek powinien kochać BOGA.* Argumentum ab effectis: *bo BOG wielkie dobrodzieystwa świadczy Człowiekowi, z ktorych każde iest dostateczną pobudką do miłości Boskiey.* Tractabitur primùm occultè, postea apertè per Interrogationem, Repetitionem, enumerationem effectuum &c.

EXERCITATIO.

Affectus occultus. *Posłuchay proszę Katoliku, y pilne day baczenie na to, coć mowić będę. Izaliż w głębokiey iuż zatopiłeś niepamięci rozliczne łaski Boskie? Izaliż nie pamiętasz, nie poznaiesz, czyli poiąć nie możesz, co ci dobrego BOG uczynił? spytay się Duszy twoiey, spytay się sumnienia własnego, spytay się siebie samego, a poweźmiesz wiadomość, co za dobrodzieystwa tak w porządku natury, iako też w porządku łaski od nayła-*

ska-

ſkawſzego PANA *odebráłeś.* Ktore *zwa-żywſzy muſiałbyś twardſze nád krzemień y opokę mieć ſerce, żeby ſię nie wzruſzyło, że-by ſię ku miłości Boſkiey wzbudźić nie miało?*

Enumeratio effectuum. *Czyliż to nie On z przepáści niczego, w ktorey po wſzy-ſtkie był byś zoſtáwał wieki, wſzechmo-cną Ręką ſwoią ná ten cię świat wyprowadźił? zoſtáwiwſzy w niey ták wielu innych, ktorzy daleko goręcſzym byliby pálali ku Niemu afe-ktem. Czyliż nie wſzyſtko co odźiedźiczaſz, dárem Jego ieſt? On ci to dał, On zácho-wuie, káżdego momentu On przeſtrzega, áby to wſzyſtko wraz z tobą ſamym znowu ſię w nic nie obrociło. Czyliż nie On z miłości ku tobie wſzelkie utrzymuie ſtworzenie, że Duchy náwet Anielſkie, pilne o zbawieniu twoim, do ktorego ſtworzony ieſteś, ſtáránie máią? Coż dopiero ieżeli do przedźiwney o-kupu ludzkiego Táiemnicy przyſtąpiemy, o iák że tam w bezdenną dobroczynności Boſkiey za-brniemy przepáść! BOG cię ták ukochał, że náturę ná ſiebie ludzką dlá zgłádzeniá grze-chow twoich przyiąć ráczył: On w Ciele náſzym ná wſzelkie nędze, wzgardy, wy-śmiánia, y policzkowániá podał ſię: On o-krutne męki, śmierć náoſtatek ná krzyżu zel-żywą ponioſł: On ſiebie ſamego, ô co to zá dowod miłości! tobie ſię zá pokarm w Nay-świętſzym* SAKRAMENCIE *zoſtawił.*

Słowem: áby cię uſzczęśliwił, tyle uczynił, tyle ucierpiał, iák gdy by na twoim zbáwieniu cała Jego cześć, honor, y chwałá polegáłá. I tegoż PANA tak dobrego, ták łáſkawego, ták dobroczynnego, ták nam wiele świadczącego nie będziemy kochać Chrześciánie?

Affectus apertus. *Ah Panie! Ty wieſz, że kocham Cię: oto ſerce moie, y ciáło moie rozrádowáło ſię w Tobie BOGU żywym! kocham Cię: nie przeto tylko, żeś Ty mnie wprzod ukochał, żeś mię łáſkami y dobrodźieyſtwy twoiemi poprzedźił; ále ráczey kocham Ciebie dlá Ciebie, dlá Twoiey naywyżſzey y nieſkończoney dobroci, piękności, y zácności, náywiękſzego y nieſkończonego kochániá godney. O gdyby iedno, ktore mam ſerce, w tyſiąc ſerc zámieniło ſię, wſzyſtkie te twoią ſzczegulnie miłością zaprzątnął bym. Chceſz że Panie miłości moiey ku Tobie w ſkutku doświadczyć? przepuść krzyże, odbierz fortunę, nápełnii potwárzami, chorobámi uciśnii; à bądź pewien: że áni dolegliwość, áni niedoſtátek, áni głod, áni zelżywość, áni niebeſpieczeńſtwo, áni prześladowánie, áni kołá, miecze, ognie, áni żadne inne ſtworzenie od kochániá Ciebie odwieść mnie nigdy nie potráfi. &c.*

II. Paradigma. Affectus Fugæ proximarum peccati occaſionum. *Thema. Potrzeba unikáć bliſkich okazyi do grzechu.* Argumentum à conſequenti: *bo to ieſt ieżeli nie*

nie iedyny, tedy náyskutecznieyszy sposob uchronienia się samychże grzechow. Amplificabitur textibus sacræ Scripturæ, per Paraphrasim deductis, exemplo Adolescentis Joseph, & testimoniis SS. Hieronymi & Augustini, ornabitur Figuris Affectuum propriis nempe: Apostrophes, Interrogationis, Repetitionis, Conversionis, Exclamationis, Conduplicationis, Complexionis, &c. Tractabitur jam apertè, jam occultè, jam lenius, jam acrius.

EXERCITATIO.

Do pewnego w duchownych cwiczeniach sławnego Męża, przyszli niektorzy Młodzieniaszkowie prosząc go, áby im przepisał regułę pobożnego y świątobliwego życia. Ktorym wielkiego doświádczenia sędziwy Mąż rzecze: piszcie. Gdy oni do pisaniá zbawiennych prawideł iuż byli gotowemi, te im dwa słowá podyktowáł: okazyi unikay, *ktore iák nápisali, przemieniwszy tych słow porządek, znowu im podyktował:* unikáy okázyi. *Potym przydał:* okázyi unikáy. *Ná co zdumiawszy się Młodźieńcowie rzeką: Oycze iuż my to nápisali. Jednę przecię piosnkę powtarzał stárzec mowiąc:* okázyi: unikay, unikay okazyi: *áby ich náuczył, iż wszystkie, uchronienia się grzechow, sposoby w iednym okázyi unikániu zamknąć się mogą. A-*

ni ta náuká rożna ieſt od náuki Niebieſkiego Miſtrzá Jezuſa Chryſtuſá, ktory ták mowi (r) Jeżeli oko twoie gorſzy cię, wyłup ie, y rzuć precz od ſiebie. *Wiecieli co przez to oko ma ſię rozumieć? oto każda rzecz, ktora komu ieſt naymilſza, ktorey iak oka w głowie przeſtrzegamy, á ieſt z obrázą Boſką, tę nam Bog nie tylko zániechác, ále y oddalić od ſiebie roſkázuie; nie mowi bowiem ieżeli oko twoie gorſzy cię, záwrzey go powieką, ále wyrwii go, odrzuć go.* projice abs te. *Ták ieſt naymilſi: ſprawuież kto urząd, ktorego bez zawodu ſumnienia ſpráwowáć nie możeſz, złoż go;* projice abs te: *poſiadaſz obſzerne włości z krzywdą cudzą, wroć ie Panu własnemu.* projice abs te. *Maſz nierządne ku oſobie przywiązanie, oddal ſię od niey, albo ią od ſiebie dáleko;* projice ábs te *kochaſz ſię w málowidłach wſzetecznych lubieżność zápaláiących; rzuć ná ogień, niech ráczey ſię, nie cię palą;* projice abs te: *obfituieſz w kſiążki gorſzące, o ktore temi czáſy nie trudno, potęp ie u ſiebie, podrzey ná drobne káwałki, y wieiącym burzliwym wiatrom do roznieſienia po powietrzu odday;* projice abs te: *ináczey ták ty pierwſzy, iako ty dalſzy y ty oſtátni nie pewny ieſteś cnoty, nie pewny zaſługi, nie pewny zbáwienia. Bo to ieſt wyrok ſamego Duchá Przenayświętſzego* (s) *Kto ſię w niebeſpieczeńſtwo wdáie, w niebe-ſpiecze-*

(r) *Matt.* 5. (s) *Eccl.* 3.

ſpieczeńſtwie ginie.
Nie maſz nic, ſkutecznieyſzego ſpoſobu uniknie nia obrázy Boſkiey á zátym zguby náſzey, nád ucieczkę. Niech to świátowym woiownikom wſtydem y háńbą będzie plácu nie dotrzymáć, dla żołnierzá Chryſtuſowego w utarczce grzechowey nic pożądáńſzego, nic zbáwienniey-ſzego być nie może, iako co prędzey z plácu uſtąpić. Jeżeli gdzie, tu prawdziwie ucieczká tryumfuie. Przeto S. Hieronim mowi: że w utarczce grzechowey ten pokonány bywa, kto ſię w okázyách uwikle, ten záś zwycięża, kto od okázyi grzeſzenia zdáleká ſtroni: (t) Fuge & viciſti. Chceſz honor, zdrowie, y fortunę twoię utrzymáć? ten Dom miiay, od tey kompánii odſtrzychnii ſię, tego piiańſtwá poprzeſtań; fuge & viciſti. Chceſz przyſięgi, bluźnierſtwá, zápalczywości y poiedyn kow uniknąć, iakoś chcieć powinien? koſterſtwem ſię nie zábawiay; fuge & viciſti. Chceſz prożnym myślom, obmowiſkom, zgorſzeniom przyſtęp zágrodzić? ſtrzeſz ſię prożnowánia; fuge & viciſti: chceſz w prawdách Ewángelicznych álbo nie bluźnić, álbo nie błądzić, álbo iakowym wątpliwościom nie podpadáć? nie ſzperay głęboko, nie báday ſię ciekáwie, nie unoś ſię dáley nád záſiągnienie miałkiego dowcipu twego à wzłaſzczá, przy wrodzoney delikátności ſłábego; fuge & viciſti Chceſz

(t) Gen. 39.

Chceſz náoſtátek w cáłośći záchowáć niewinnosć? z płcią ſię nie wdaway; fuge & viciſti. *Nie innym zápewne ſpoſobem śliczny on Młodzieniaſzek, á wielki czyſtośći kochánek ſtározakonny Jozef przy ſwoiey utrzymał ſię cnocie, tylko przez prędkie z rąk niewſtydliwey Putyfará żony wydarcie ſię, y ná publiczny widok wyſkoczenie:* relicto in manu ejus pallio fugit & egreſſus eſt foras. *Mow ty ſobie: uciekł Jozef, nie zwyciężył; mowię ia: zwyciężył Jozef, bo uciekł. Ponieważ gdy by był nie uciekł, bez wątpienia był by zwyciężony. To ieſt broń przeciwko grzechowi nayſkutecznieyſza, ucieczká.* In occaſione peccandi apprehende fugam, ſi vis invenire victoriam (u).

Jakże grzeſzniku ieſzcze przecię ná okázyę grzechowe dobrowolnie narażáć ſię będzieſz, á nie ráczey pilnie ich y uſilnie unikáć? Czyń co chceſz, chuciom twoim we wſzyſtkim dogadzay, idź ná te mieyſcá gdzieś ciężko upadł; nie támuię: wroć ſię do Kompánii, *ktora ci do złego ieſt powodem; nie przeſzkadzam żłopay piiane trunki; nie bronię: gry y ſzulerſtwá nie odſtępuy; pozwalam: o rzeczách tyczących ſię religii wiele rozprawiay; nie przeczę: do ulubionych niegodziwie oſob śpieſz co prędzey; nie przytrzymuię: ále wiedz o tym, w czym cię śmiele aſſekurowáć mogę, że honor, zdrowie, fortuna, uſzczerbek poniesą,*

(u) *Aug. ſerm.* 250. *de temp.*

nieſą, kálectwo pewne, życie niepewne, Máieſtat Boſki zelżony, práwo zdeptane będzie, wiará ſię ochwieie, poczciwość záſzwánkuie, á podobno, wzgárdziwſzy przeſtrogą Duchá Przenayświętſzego: kto ſię w niebeſpieczeńſtwo wdáie, w niebeſpieczeńſtwie ginie, podobno (áh! záchoway cię Boże) podobno ná wieki zginieſz.

III. Paradigma: Affectus timoris. *Thema: Stráſzne ieſt Piekło.* Argumentum à definitione *Bo ieſt zbiorem wſzelkich nieſzczęśliwości.* Amplificabitur per enumerationem, & exornabitur figuris Hypotypoſis, Apoſtrophes, interrogationis, exclamationis, & Complexionis. Tractabitur apertè & acriter.

EXERCITATIO.

O gdy bym miał tyle władzy Słucháczе! áżeby mi wolno było piekielne otworzyć táráſy, y przed oczy ich wáſze do przypatrzenia ſię zbliſká wyſtáwić. Przebog! iaki tam zbior udręczęniá ná iednego potępieńcá zgromadzony obaczylibyście. Widzielibyście rozżarzonego ognia płomienie, ktory pali; á nigdy nie ſpali: widzielibyście obrzydłe robáctwá, ktore żrą; ale nie pożyraią: widzielibyście wrzące ſiarczyſte ieziorá, w ktorych ſię potępieńcy nurzáią; ále nie zágubiaią: widzie libу-

libyście ſtrážliwe poczwáry, ktore rykiem ſwo im przerażáią; ále nie zábiiaią: widzielibyście gorące prágnienia; lecz bez ochłody: głod nieznośny; lecz bez poſiłku: ſmutek niewypowiedziany; lecz bez pocieſzenia: á to wſzyſtko (co nayſtráſznieyſza) widzielibyście bez końcá, bez liczby, bez miary przez cáłą wieczność trwáć máiące. Dabit ignem & vermes (x) in carnes eorum, ut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum.
Coż ná to naymilſi? izáliż włoſy od ſtráchu ná głowách wáſzych nie powſtáną? Ja w cále cáły truchleię, ſkorá, ciáło, ſerce, duſzá we mnie drzy, mieſza ſię y alteruie. Y czyież ſerce nie wzdrygnie ſię (mowi Bonáwentura) gdy ſobie rozważy piekielne męki nie tylko ciężkością nieznośne, ále też y nieſkończone wiecznością. A wy Kátolicy ieſzcze to śmiechem zbywác będziecie? ieſzcze śmiáło ná obrázę Stworcy wáſzego odważąć ſię nie przeſtániecie? O nieroſtropności! o zuchwálſtwie! o ſzaleńſtwie! Jeżelić teraz ták ieſteście delikatnemi, tak niedotkliwemi, że naymnieyſza ná ciele wáſzym przykrość mocno was dolega, ná iedno ſzpilki zákłucie ſykacie, iakże proſzę tyle y ták okrutnych tortur piekielnych wiecznie trwáć máiących wytrzymacie? O Pánie przeymii wſkroś boiaźnią twoią ſercá náſze! Znam ſię do tego, iżem zgrzeſzył, zbrodni wiele popełniłem, ſpráwiedliwości

(x) Judith. 16. v. 21.

wości tweey wypłácić się winien ie-
stem; nie trácę iednak nádziei w miłosierdziu
twoim. Litość twoia większa iest, niżeli
nieprawość moia: przez tę tedy dobrotliwość
twoię prosiemy cię: karz nas Pánie, ale prze-
cię w sprawiedliwości złączoney z miłosier-
dziem, nie w gniewie twoim, to iest w odchła
ni piekielney. O to nas masz gotowych y
prędkich do ponoszenia w tym życiu wszelkie-
go rodzáiu chłosty! Tu piecz, tu siecz; byleś
nawieki przepuścił! dopuść potwarzy y zelży-
wości; byleś ná wieki przepuścił: dopuść cho-
roby y udręczenia; byleś ná wieki przepuścił:
dopuść ostátnią nędzę y ubostwo; byleś ná wie
ki przepuścił: dopuść wszystkie, o ktorych po-
myśleć można, świata tego utrapienia, mile
przyimiemy; byleś ná wieki przepuścił.

IV. Paradigma. Affectus Commiserationis.
Thema. Powinniśmy ubolewáć nád umierá-
iącym ná Krzyżu zá nas Jezusem. Argu-
mentum ab Adjunctis. bo same nietylko nie-
rozumne, ále náwet y nieżyiące stworzenia
powszechny żal oświadczáią. Amplificabi-
tur per enumerationem prodigiorum, quæ
moriente Christo acciderunt, & S. Aug:
sententiam. Procedet per Dilemma, An-
titheses, Apostrophen interrogationem &
exclamationem. Affectus lenis primò, tum
vehementior.

EXER

EXERCITATIO.

Przypomniy ſobie Kátoliku à ſzczerze, czy li też nie mowię innego czáſu, ale przynaymniey w tey świętey kwádragezymy przeciągu, nie mowię káżdego dnia, ale przynaymniey kiedyżkolwiek rozpámiętywałeś Mękę Zbáwiciela twego, albo nie? Jeżeliś rozpamietywał? ciesz ſię mocno, á to ſámo y dziś ponawiay; ieżeli nie? żałuy ſerdecznie, à tego przynaymniey dziś (y) powetuy. Bierz przykład rozumny człowiecze z żyiącego y nie żyiącego, z czułego y nie czułego ſtworzenia, ktore nád konáiącym Jezuſem powſzechny żal oświadczyło. Oto ſłońce światłości (z) nie dáiące grubemi ciemnościami ni ſmutną świat cáły żáłobą pokryło, à ty weſołym pátrzyć będzieſz okiem? oto kościelna zaſłoná ná dwoię ſię rozdarłá, à ſerce twoie ná poł ſię nie rozkroi? ziemia zadrzałá, (a) à ty ſię nie wzruſzyſz? ſkáły ſię łamią, à twárdſze nad opokę ſerce twoie nie ſkruſzy ſię? groby ſię otwieráią, à ty nie truchleieſz? zmárli powſtáią, à ty ſię nie ockinieſz? Ey przebog! woła ná cię Auguſtyn S. (b) Spoyrzyi ná rány wiſzącego, ná krew umieráiącego, ná cenę odkupuiącego; głowę ma ſkłonioną ku ucałowániu; ſerce otwárte ku ukochaniu; ręce wyciągnione ku uściſkániu; wſzyſtko

(y) Conc. hæc dicta die Paraſcev. ad Sepulch. Xti.
(z) Luc. 23. (a) Matt. 27. (b) relatus in Lib. cui tit. Ratio ſtatus animæ immort. p. 4. Lect. XI.

ſko ciáło nátężone ku odkupowaniu! ktore rzeczy iak wielkie ſą, uważaycie, ná ſzalach ſerc wáſzych rozważaycie. Niech ten będzie u was przyięty ná ſercách, ktory cáły ieſt dla was rozpięty ná Krzyżu. ták S. Doktor. O nayſłodſzy Zbáwicielu Jezu! żáłuię ſerdeznie, żem ci był przyczyną ták ciężkiey męki: dziękuię pokornie, żeś ták okrutne kátownie dla mnie wycierpiał, żebrzę uſilnie, ábyś mnie przed ſurową Ciebie Sędziego twarzą w ránách twoich nayświętſzych zákrył. Chcę rozpámiętywáć boleśći twoie, żebyś ty pámiętał ná Duſzę moię. Chcę z Tobą cierpieć do czáſu, ábym bez Ciebie nie cierpiał ná záwſze. Chcę z Tobą umieráć teraz, ážebym z Tobą żył ná wieki.

Sed jam ad ulteriora properandum eſt.

LIBER II.

DE INVENTIONE.

SI quis Univerſam & propriam Oratoris vim definire complectique vult, is Orator erit meâ ſententiâ, hoc tam gravi dignus nomine, qui quæcunqe res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter & compoſitè, & ornate, & memoriter dicat cum quadam etiam actionis dignitate. Ait Cicero (c) Ex his igitur manifeſtum eſt orandi facultatem quinque omnino conſtare partibus. Inventione, ut

(c) *Lib. 1. de Orat. n. 11.*

ut prudenter; Dispositione, ut composite; Elocutione, ut ornate; Memoria, ut memoriter; Pronuntiatione, ut cum dignitate, dicat Orator. Quæ omnes sequentibus 4. Libris explanabuntur. Istum tribus complectar Capitibus: I. Inventionem communem utriusque Oratoris. II. Inventionem communem Oratoris sacri. III. Inventionem propriam Ecclesiastæ examinabit.

CAPUT I.

De Inventione communi utriusque Oratoris.

ARTICULUS I.

De Natura inventionis, Quæstionis & Argumenti.

Q. Quid est Inventio?

℞. Est rerum verarum aut verisimilium excogitatio, quæ causam probabilem reddant. Inquit *Auctor* ad *Herennium*.

Q. Quotuplex est Inventio?

℞. Duplex *Communis*, quæ desumitur ex Locis communibus, & *propria*, quæ ex Locis singulorum causarum Generum depromitur.

Q. Quid est Quæstio Oratoria?

℞. Est Propositio in qua cardo omnium dicendorum vertitur, quæ etiam *thematis* nomine compellatur.

Q.

Q. Quotuplex eſt Quæſtio?

℟. I. Ratione Quantitatis eſt duplex: *Infinita* (quæ Græcè *Theſis* Latinè *Propoſitum* vocatur) cum aliquid generatim quæritur ſinè deſignatione Perſonarum, locorum, temporum & aliarum circumſtantiarum vg. *An Rhetorica ſit perdiſcenda?* & *Finita* (quæ Græcè *Hypotheſis*, Latine *Cauſa* & *Controverſia* appellatur) quando aliquid ſpeciatim quæritur cum certa Perſonarum, temporum, locorum expreſſione vg. *an Rhetorica Eccleſiaſtica in Regno Catholico ſacræ eloquentiæ candidatis ſit perdiſcenda?*

II. *ratione finis* itidem duplex: *Theorica* ſeu cognitionis, cujus finis eſt tantùm ſcire vg. *utrum plures Chriſtianorum ſalventur an damnetur?* & *Practica* ſeu Actionis, cujus finis eſt aliquid efficere, ut *ſintne Sanctorum Reliquiæ colendæ?*

Q. Utra è duabus poſterioribus quæſtionib9 à ſacro Oratore uſurpanda?

℟. Practica; nam Theorica multum habet curioſitatis: hæc plurimum emolumenti, nempe vitiorum extirpationem, & virtutum inſitionem.

Q. Quænam eſt neceſſitas & utilitas doctrinæ de Quæſtione?

℟. Cùm non præfixo ſcopo tela jacere puerile ſit, eapropter prudens Orator primò Quæſtionem, ſtatuit, ut & Auditor ſciat,

quid

quid sibi persuadere velit, & ipse perspiciat, quibus argumentis tanquam jaculis, quibûsve motibûs veluti arietibus eundem adoriatur, neq; toto Cælo à proposito aberret. Et hoc respicit necessitatem. Quantum verò ad Utilitatem: ut nimirum discat eloquentiæ studiosus (quod & Cic monet) Hypothesim revocare ad Thesim, non eo animo ut in ea consistat, sed ut latiorem discurrendi campum sibi adaperiat, & rem propositam facilius ac evidentius comprobet; quidquid enim verum est de re universè considerata, verum quoq; de singulis sub ea contentis, *vg. si omnis virtus amplectenda est, etiam temperantia.*

Q. Quid est Argumentum?

℟. Est inventum seu probabile seu necessarium ad faciendam fidem, id est persuadendum.

Necessarium Argumentum est quod in contrarium probari non potest *vg. Si vis ingredi ad vitam, serva mandata.* Nemo quippe illuc ingreditur, nisi hac conditione impleta. *Probabile* est, quod in utramque partem probari potest, ut *habitum peccati contraxit. Ergo veram pænitentiam non aget* cùm tamen ex Magdalena contrarium constet.

Q. Unde quærenda sunt Argumenta?

℟. Ex Locis Oratoriis, quos Cicero appel-

lat

lat ſedes ſeu domicilia argumentorum, in quibus latent, & de quibus ſunt eruenda.

Q. Quotuplices ſunt loci Oratorii?

R. Duplices: *Inſiti* ſeu intrinſecùs petiti, qui ex ipſa re, ejuſq; quaſi viſceribus ducuntur: & *Remoti* ſeu extrinſecùs accerſiti, qui quodammodo foris aſſumuntur.

ARTICULUS II.

De Locis Argumentorum Inſitis.

Q. Quot ſunt Loci Oratorii in ipſa re inſiti?

R. Sedecim: quorum duo ſumuntur à *Voce*; Notatio & Conjugata: *à rebus* autem ipſis quatuordecem: Definitio, Diviſio, Genus, Forma, Similitudo, Diſſimilitudo, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, Effecta, Comparata.

NOTATIO.

Q. Quid eſt Notatio ſeu Etymologia?

R. Eſt locus verborum originem, & ſignificationem inquirens: ut nomen *Roma*, juxta Hieronymum (*d*) ex Græco *fortitudinem*, ex Hebræo idiomate *ſublimitatem* ſonat.

Debile ex ſe eſt ductum à Notatione Argumentum, niſi Scripturæ, aut Patrum teſti-

(d) *Lib. 2. adv. Jovin.*

teſtimoniis firmetur. ſic D. Aug: (*e*) inviſum Donatiſtis *Monachi* nomen deducit ex ſcriptura per Notationem. *Quid ſibi vult Monachorum nomen? Oſtendite* (*inſtatis*) *ubi ſcriptum ſit nomen Monachorum? Quare ergo non appellemus Monachos? cùm dicat Pſalmus: ecce quàm bonum, quàm jucundum habitare Fratres in unum;* Monos *enim unus dicitur & non unus quomodocunque: nam & in turba eſt unus; ſed unà cum multis unus dici poteſt:* Monos, *id eſt, ſolus:* Monos *enim unus ſolus eſt. Qui ergo ſic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut ſit illis verè; quod ſcriptum eſt, una anima, & unum cor, rectè dicitur* Monos, *id eſt, unus ſolus.*

CONJUGATA.

Q. Quid ſunt Conjugata?

R. Sunt ea, quæ ab uno vocabulo orta variè commutantur, ſeu terminantur: ut pius, piè, pietas. Cic: pro Marcello. *Ipſam victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti: nam cum ipſius victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ judiciô conſervati ſumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio viſque devicta eſt.*

De his duobus locis mentionem feciſſe ſufficit, cum enim Forenſi Oratori ſatis infre-

(e) *In Pſalm: 132.*

frequentes ſint; eò, quod neuter illorum (judice Fabio) multum ad probationem habeat momenti; longè rarior eorundem uſus eſt Eccleſiaſtico. Argutiarum & facetiarum propter Pòëtas atque etiam Oratores ad delectandum ſunt feraciſſimi.

Hinc provenit dictum, quod Auguſtus cum audiret quendam Patris ſepulchrum arare protulit: *pius eſt, eximiè enim Patrem colit.* Uſus æquivocatione verbi *colo* quod & obſervare & arare ſignificat.

DEFINITIO.

Q. Quid eſt Definitio?

R. Eſt Oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid ſit. Cic: in Top. n. 26.

Q. Quotuplex eſt Definitio?

R. Duplex: *Rigoroſa*, quæ ad Dialecticos pertinet adſtricta certis legibus e. c. *Homo eſt animal rationis particeps.* & *latiùs ſumpta*, quæ Oratorum eſt deſcriptio ex quocunque loco Rhetorico. Sic à cauſis ſimul omnibus perfectè deſcribitur Homo: *Animal à DEO Supremo rerum opifice conditum ex mortali quidem corpore conflatum, ſed animo præditum immortali, & ad Divinæ naturæ ſimilitudinem expreſſo, ad perfruendum clara DEI viſione deſtinatum.*

Q. Qua ratione inſtituitur Definitio per affirmationem & negationem?

℞. Elegans omnino est isthæc Definitionis tractatio, si primo explicetur quid non sit res, tum per Ironiam, vel Exclamationem, vel utrumque simul, aut Interrogationem rejiciatur, tandem vera rei natura exponatur. Præstantissima leges exempla apud Cic: in Pisonem n. 23. & 24. 2. in Rullum n. 10. Pro Sextio ante n. 97. & alibi passim. Unicum adducam, quod habet pro Domo sua: *An tu Populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant Magistratibus, ut obsideant Senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? -- o speciem dignitatemque Pop. Rom. quam Reges, quam Nationes cæteræ, quam gentes ultimæ pertimescunt, multitudinem ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam! - - - Ille, ille Populus est Dominus Regum, Victor, atque Imperator omnium gentium. &c.* Optime locum istum imitari poteris in Definitione *v. g.* Christiani: *Tune Christianum illum putas hoc tam specioso dignum nomine, qui cum lustralibus aquis sit ablutus ulterioris vitæ tractum turpi Baccho Venerique consecrat? qui mentem non recolendis Salvatoris sui vulneribus, sed excogitandis scelerum viis applicat, atque intendit? qui linguam convitiis, ac perjuriis coinquinat? Oculis lascivos aspectus indulget? manus innocenti sanguine cruentat? totum denique corpus*

pus spurcissima fœditate contaminat? o speciem dignitatemque hominis Christiani? qui CHRISTO *Duce, Servatore, Domino suo gloriatur! Diaboli mancipium, servus peccati, filius iræ. Ille, ille meâ sententiâ Christianus est, qui acceptam in Baptismo innocentiam integerrimè conservat; fastum, quem ejuravit, abhorret, Dei Cultor, Virtutum amator, mundanæ vanitatis contemptor, Religionis defensor, vitiorum osor acerrimus.*

Q. Num est aliquis ita tractandæ Definitionis Evangelico Præconi usus?

R. Cùm huic de DEO, Divinisque agendum sit, quæ propter sublimitatem suam, aut inevidentiam facilius comprehenduntur, quid non sint, quàm quid sint, non est illi istiusmodi Definitionis usus, nisi frequentissimus. Eum in modum S. Aug: in Med: Cap: 12. DEUM definit: *in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in consiliis terribilem, in judicio justum, &c.* quam Definitionem prosequitur Propositionibus negativis. *Quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant. &c.*

Q. Estne adhuc aliquis ingeniose tractandæ Definitionis modus?

R. Venustè procedit Descriptio Oratoria, si voces sibi contrariæ & repugnantes conjungantur: v. g. *Homo est serius fortunæ lusus, constans inconstantiæ imago, viva mors,*

mortua vita. Tale eſt dictum Sen: *Otium ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura.* Sic S. Aug: modo laudatus in Definitione DEI pergit, dicendo illum: *Sine deformitate perfectum, ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, ſine tempore ſempiternum, ſine morte vitam, ſine infirmitate fortem, ſine mendacio verum, ſine ſitu ubique præſentem, ſine loco ubique totum, ſine extenſione omnia complectentem.*

DIVISIO.

Q. Quid eſt Diviſio?

R. Eſt totius in ſuas partes diſtributio.

Q. Quotuplex eſt Diviſio?

R. Pro ratione totius multiplices ſunt partes, pro ratione verò partium multiplex eſt Diviſio. Quod accuratius examinant Philoſophi, Oratori ſufficiet ſcire triplicem Diviſionis differentiam.

1ma eſt, quæ propriè vocatur *Diviſio*, quando ſcilicet Genus dividitur in ſpecies ſub ſe contentas e.g. *Virtus in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam &c.*

2da, quæ appellatur *Partitio*, quando aliquod totum diſtribuitur in partes. Præclarum iſtius rei exemplum leges in Panegyri Plinii, ubi Trajani Imperatoris in Urbem ingreſſum deſcribit. Item apud

Cic.

Cic: in simili materia post Reditum. Hic ferre non possum, quin illustrem CHRISTI Crucifixi ideam à Lactantio Firmiano metricè expressam, dignam, quæ etiam memoriæ firmiùs imprimatur, atque identidem recolatur, proponam.

Vertice adusque pedes me lustra, en aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisque caput crudelibus haustũ.
Undique diva pluens vivum super ora cruorem:
Compressos speculare oculos, & luce carentes;
Afflictasq; genas: arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus:
Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusq; cruentos.
Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

3tia Enumeratio, quando alicujus rei Causæ, Effecta, Adjuncta, Accidentia, & proprietates, vel Accidentis subjecta, aut Accidentis accidentia, vel loci diversi enumerantur. Crates apud Stobæum serm. 98. nullam vivendi rationem incommodis immunem esse demonstrat: *In foro sunt lites & actiones molestæ, in ædibus curæ, ruri labores nimii; at in mari timor est; in peregrinatione, si quid habes, timendum est; si nihil, molestum est. Nuptus es? non sine curis eris. Non ducis uxorem &c. Ex duobus i-*

gitur

gitur eligendum est alterutrum: Aut nasci nunquam, aut statim natum, vitâ defungi.

Q. Quomodo à Divisione ducitur Argumentum?

R. 1. per *affirmationem*; quando affirmatis omnibus vel præcipuis partibus affirmatur totum. 2. per *negationem*; quando negatis omnibus vel principalioribus partibus negatur totum. 3. per *Rejectionem*; quando infirmatis cœteris partibus una probanda, vel refutanda assumitur. 4. elegantissimè per *Oppositiones*; quando negatis partibus continuò contrarias subjicimus, *v. g.* Homines irreverenter se in Templo gerentes exagitari possem: *Advolant ad Divorum penetralia, advolant inquam, non quòd alacrem ipsorum ad Divina Officia promptitudinem significare velim, sed levitatem. Ingrediuntur sacrata Supremo Numini Augustalia, non ut ibi præsentem quamvis latentem corde & corpore adorent in carne Divinitatem, ast ut erecto ad sidera ore, summos speculentur tholos. Non ut manus ad devotionem, oculos ad modestiam, totum denique corpus ad debitam Altissimi reverentiam componant: verùm ut lascivis oculis, procaci vultu, nudato petulantiùs collo libidinem irritent, totô denique distortô corpore huc atque illuc volitent. Intrant sanctissimas ædes, non ut ibi pientissimas fundant ad DEUM precationes: quin temporalibus ut de negotiis, rebusque domesti--*

mesticis, suis cum familiaribus discurrant liberalissimè.

GENUS & FORMA seu SPECIES.

℈. Quid est Genus, & quid Forma seu Species?

℟. Quanquam Philosophi multum ponant discriminis Genus inter & Speciem, Oratores tamen utrumque passim ita confundunt, ut quidquid plura infra se continet, sive specie, sive solô numerô, sive accidente aliquo, sive quocunque modo diversa, *Genus* nuncupetur. Sic *Homo* pro Genere ab Oratore sumitur, quando dividitur in doctum, rudem, senem, puerum, divitem, pauperem, nobilem agrestem, claudum, cæcum &c.

Forma verò sive *Species* est quælibet res particularis sub generali contenta, *v.g.* Vir, fœmina, sanus, æger, species vocantur hominis apud Oratores.

℈. Quis locorum istorum Usus.

℟. Satis frequens, dum Hypothesis seu species ad Thesim sive Genus transfertur. Excellens namque Orator à Personis, Locis, Temporibus cœterisque circumstantiis controversiam avocat, & ad universi generis vim explicandam traducit. Quod Tullius faciendum præcipit. Id verò contin-

tingit maximè in Exordiis, ibi equidem Orator quædam generatim præmittere solet, à quibus ad particularia descendit. Ita Demosthenes encomiis celebraturus illorum prudentiam ac fortitudinem, qui pro Patria ceciderant, duo præfatur esse virtutis principia: prudentiam, & fortitudinem; quarum altera quid sit agendum præscribit, altera exequitur. At cavendum hic est Oratori, ne hæreat longiùs in Thesi, quam in Hypothesi, si puerile vitium volet declinare.

SIMILITUDO & DISSIMILITUDO.

Q. Quid est Similitudo?

R. Est duarum vel plurium rerum convenientia in aliqua qualitate. Sic *ægrotus cum avaro convenit in eo, quod uterque gustum non habeat, hic laudis, ille cibi.*

Q. Quæ sunt Species similitudinis?

R. Istæ: Parabola, Apologus, Paradigma, Symbolum, Hieroglyphicum, Ænigma.

Parabola est verisimilis narratio ad mores informandos idonea, propter convenientiam cum re, quam Orator persuadere nititur. Usus ejus Ecclesiastico æque ac profano Oratori non infrequens. Illustria Parabolæ exempla occurrunt in Evangelio. Cum equidem apud Hebræos præser-

præſertim orientales maximus Parabolarum uſus fuerit, CHRISTUS quoque parum, aut *nihil ſine Parabolis loquebatur eis.* Apud Cic. locum Parabolæ obtinet, quod de Anſeribus & Canibus narratur pro Roſc: Amer. n. 56.

Apologus ex Parabola fiet, ſi rebus inductis fictum addatur colloquium, quod in Sacris Literis obvium eſt, ubi incognitæ veritates cœleſtes declarantur.

Paradigma ſeu *Exemplum* eſt, cum dicto facto, moribus, aut conſuetudine alterius, ſive hominis privati, ſeu Civitatis, ac Nationis propoſitum noſtrum confirmamus. Hæc ſimilitudinis ratio efficax eſt ad perſuadendum. Utitur eâ Cic: pro Roſc: Amer. n. 50. *Næ tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cùm ab aratro accerſebantur, qui Conſules fierent. Etenim qui præeſſe agro colendo flagitium putes, profectò illum Attilium, quē ſuâ manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum atque inhoneſtiſſimum judicares. At hercule Majores noſtri longè aliter & de illo, & de cœteris talibus viris exiſtimabant.*

Symbolum eſt ſignum clarum occultæ veritatis per picturam expreſſum, cui addi ſolet *Lemma*, ſeu Inſcriptio aliquid ad mores ordinatum explicans. Sic uxori Loth, quòd Patriam reſpiceret, in columnam ſa-

lis

lis mutatæ, appositum Epigraphe: *Vidisse, periisse est*; Satis nos disertè admonet custodiæ oculorum. Symbolum raró aut nunquam à Prædicatoribus usurpandum, tum propter debilitatem in confirmando, tum quod incuriæ in conquirendis rebus majoris momenti arguat Ecclesiasten.

Hieroglyphicum est signum externum per figuras animalium, vel aliarum rerum internun animi sensum, plerumque ex beneplacito hominum non ex natura sua declarans. Ita veteres fortitudinem per Leonem, vigilantiam per Canem, mansuetudinem per Columbam hieroglyphicabant.

Ænigma est obscurum dictum, in cujus intelligentiam, nisi bene perpensis rei proprietatibus deveniri non potest. Illius nullum video in Oratorio suggestu usum, sed totus Poëtarum est. Singulæ istæ species sunt totidem tractandæ similitudinis Methodi, quibus adde Metaphoram & Allegoriam. Planiùs autem procedit similitudo per Protasim & Apodosim, sine vel cum notis similitudinem exprimentibus, sive Apodosis præeat, sive sequatur protasim. Exempla dabit observatio.

Q. Valetne similitudo ad probandum?

R. Quanquam similitudo in tota sua latitudine accepta debile semper ad concludendum robur habeat; ad illustrandum tamen,

men,

men, ornandum, & delectandum plurimum confert, eâque mirificè capitur imperita multitudo, quod rem quasi oculis subjectam demonstret. Ita enim aperit rem (si recte adhibeatur) ut *cum assentiendi necessitatem non afferat, afferat tacitum dissentiendi pudorem.* inquit *Rudolph: Agricola.* Cœteris amæniores sunt similitudines quæ ab eruditione Historica vel Philosophica rerum naturalium repetuntur. At elegantissimæ omnium, quæ ex Scriptura, aut Patribus depromuntur, vel saltem in Apodosi ipsorum sententiis confirmantur.

Q. Quid est Dissimilitudo?

R. Est duarum vel plurium rerum in aliqua qualitate discrepantia, cum in aliis inter se conveniant. Accipe Exemplum ex S. Ambrosio de Machabæis: *Non sic illecebræ sunt cantus Sirenum, illi enim ad naufragium trahunt, isti* (Machabæi) *ad Sacrificium: non sic Cygnea vox aures mulcet, Cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti amore pietatis moriebantur &c.*

Q. Quænam elegantissima Dissimilitudinis expositio?

R. 1. per Inductionem; si præmissis pluribus similibus, unum subjiciatur cum quadam diversitate, ut S. Cyprian: (f.) *Mala cætera habent terminum, & quodcunque delin-*

(f.) *Serm: de livore.*

linquitur, delicti consumatione finitur. In adultero cessat facinus, perpetrato stupro, in latrone conquiescit zelus homicidiô admissô, & prædoni rapacitatem statuit possessa præda, & falsario modum imponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum ac sine fine peccatum est.

2. Si similitudo per has particulas: ita, sicut &c. præcesserit, & deinde in iisdem rebus, quas per similitudinem inter se contulimus, Dissimilitudo ostendatur, v.g. *Solis in hoc naturam imitamur homines, quod sicut ille oritur, ita nobis nasci contingit: ille ad meridiem elevatur, nostrum plurimis ad mediæ ætatis annos pervenire concessum: ille ad occasum vergit, nos quoque ad vitæ exitum declinamus: in hoc tamen dispar nobis cum Sole conditio, quòd ille occidit, & denuo redit, nos cum semel fatalem experimur occasum, non amplius in mortalem vitam licet exoriri.*

CONTRARIA.

Q. Quid sunt Contraria sive Opposita?

R. Sunt ea, quæ nullo modo possunt esse simul in eodem subjecto, sed unum expellit per se aliud.

Q. Quotuplicia sunt Contraria?

R. *Quadruplicia:* Adversa, Relata, Privantia, & Negantia.

Q. Quid sunt *Adversa*?

R. Sunt

℟. Sunt, quæ sub eodem genere posita maximè inter se distant, & utrumque eorum est aliqua res, ut: *Frigus* & *Calor* in summo.

℣. Quomodo variantur Contraria?

℟. *Tripliciter:* vel enim verba verbis, vel membra membris, vel Periodi Periodis opponuntur. Exemplum *primi* sit. 1. Cor: 4. *Nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles.* Exempl: *secundi* dat Ambr: (g) sub CHRISTI Persona loquens: *Non est meus, quem libido succendit, quia mea est castitas; non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea largitio est; non est meus, quem cura nobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas est. Pax sum Ego, litigare non novi.* Exempl: *tertii* subministrat Tertul. (*h*) statuens differentiam Christianos inter ac infideles: *Omne malum aut timore, aut rubore natura perfundit; denique malefici gestiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, nec forte quidem facile, aut semper confitentur. Certè damnati mærent, deonerant semetipsos, mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant. Nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt. Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem pænitet, nisi planè retrò non fuisse: si denotatur, gloriatur: si accusatur, non defenditur: interrogatus vel ultro confitetur:* damna-

(g) In *Psalm.* 118. (h) *Apologet.* c. 1.

damnatus gratias agit. quid hoc mali est? cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est, & pœna felicitas?

Q. Quid sunt *Relata?*

R. Sunt ea, quorum unum respicit aliud, ut *Pater* & *Filius*, *Dominus* & *Servus.*

Q. Quomodo Relata possunt dici contraria, siquidem unum non excludit aliud; quinimò sunt simul naturâ?

R. Quamvis debeant esse simul, non tamen in eodem subjecto, implicat namque unum hominem respectu eodem esse Patrem & Filium, Præceptorem & Discipulum. Jure igitur inter contraria collocantur.

Q. Quid sunt *Privantia?*

R. Est forma aliqua & ejusdem exclusio ex subjecto capaci, ita ut forma sit res, exclusio nihil, ut *lux* & *tenebræ*, *vita* & *mors*, *visus* & *cœcitas.*

Q. Quomodo à Privantibus ducitur argumentum?

R. Ab affirmatione formæ seu habitus ad negationem privationis, vel è contra: v.g. *videt ergo cæcus non est; & vicissim.*

Q. Quis modus hunc locum tractandi?

R. Tullius eum non tam dilatat, quam pressiùs urget, & sententiosè proponit. ut Lib. 4. de Finibus: *Bonum liberi, misera orbitas: bonum Patria, miserum exilium: bonum valetudo, miser morbus: bonum integritas cor-*

tas corporis, misera debilitas: bonum incolumis acies: misera cæcitas.

Q. Quid sunt *Negantia* seu contradicentia?

R. Quorum unum id negat, quod alterum affirmat, sive hoc fiat in singulis vocibus, sive in Propositionibus, *v. g. Probus, improbus, Petrus amat DEUM, Petrus non amat DEUM.*

Q. Qua ratione tractantur contradicentia?

R. Dupliciter: vel ab affirmatione unius arguendo ad negationem alterius, aut è contra; vel opponendo sibi plura negantia unum in locum congesta, quod illustrat orationem: D. Greg: Naz. de infido atque improbo socio, corpore scilicet, sic conqueritur (*i.*) *Cui quodammodo conjunctus sim, haud equidem scio: quôque, pactô simul & imago Dei sim, & cum cæno voluter: quod & cùm pulchra valetudine est, bello me lacessit, & cùm bello premitur, mærore me afficit. Quod & ut conservum amo, & ut inimicum Dei aversor; quod & ut vinculum fugio, & ut cohæres veneror, si debilitare illud, & conficere studeo, jam non habeo, quo socio & opitulatore ad res præclarissimas utar. - - - ô miram conjunctionem & alienationem! quod metuo, complector: quod amo, pertimesco; antequam bellum gesserim in gratiam redeo, antequam pace fruar, ab eo dissideo.*

(*i.*) *Orat: 16.*

REPUGNANTIA.

Q. Quid ſunt Repugnantia?
℞. Sunt unum ex contrariis, & alterius con
trarii effectus: unde pugnant non ration
ſui ſicut contraria, ſed ratione contrarii,
quo proveniunt. Quamobrem Cic: aſſe
rit illa nec certa lege, neque numero in
ter ſe diſſidere, quemadmodum diſſiden
contraria; nam *lex contrariorum* eſt, ut pe
ſe & ratione ſui ſimul ſtare nequeant: a
repugnantia non per ſe, ſed mediante il
lo contrario, cujus ſunt effectus ſe mutu
excludunt, v. g. *amor* & *odium* ſun
contraria, *amor* verò & effectus odii qua
les ſunt: *convitium, averſio, læſio, verbera*
tio, &c. ſunt repugnantia Numerô quo
que contraria à Repugnantibus differun
quoniam illa tantùm duo ſunt, ut *amor* &
odium, hæc plura eſſe poſſunt, tot videli
cet, quot ſunt alterius è contrariis effe
ctus. veluti plures odii effectus immedia
tè enumerati.

Q. Quis eſt uſus repugnantium?
℞. Multiplex ac frequens; equidem & or
nant, & amplificant orationem, & ad per
ſuadendum ac refellendum nihil hoc lo
co efficaciùs, qui ad eas plerumque an
guſtias adverſarium redigere natus eſt
ut vel pugnantia admittere cogatur, ve
victum

victum se profiteri. Ita urget Cic: Anton: Philip. 2, n. 31.

ADIUNCTA, ANTECEDENTIA, ET CONSEQUENTIA.

Q. Quid sunt adjuncta?

R. Sunt ea, quæ cum re vel persona de qua agitur, sunt conjuncta. Hinc patet alia esse adjuncta rerum, alia Personarum.

Q. Quot sunt Adjunctorum genera in rebus?

R. Tria: Antecedentia, comitantia, & consequentia.

Q. Quid sunt *Antecedentia*?

R. Quæ rem præcedunt qualia sunt consilia, colloquia, minæ, promissa, omnis denique rei gerendæ vel negotii perficiendi apparatus.

Q. Quid sunt *Comitantia*, quæ simpliciter vocantur Adjuncta?

R. Quæ rem comitantur seu circumstant, unde & circumstantiarum nomen sortiuntur, qualia sunt: *Locus, tempus, occasio, modus, facultas, instrumentum &c.*

Q. Quid sunt *Consequentia*?

R. Quæ rem gestam subsequuntur, qualia sunt: *pallor, rubor, hæsitatio, fuga, gladius cruentus, ignis exstinctus,* & reliqua suspicionem facti moventia.

Q. Quotuplicia sunt Adjuncta seu Attributa Personarum?

R. *Triplicia:* Alia quippe *animum* respiciunt; suntque bona vel mala animi, ut virtutes & vitia. Alia *corpus*; suntque bona vel mala corporis, ut ætas, forma, valetudo, deformitas, infirmitas &c. Alia tandem *Fortunam*; suntque, bona vel mala Fortunæ, ut: divitiæ, dignitas, affinitas, paupertas, &c.

Q. Estne frequens Oratori Adjunctorum usus?

R. Quàm qui maximè. Præcipuè tamen valent ad laudem, vituperationem, narrationem, descriptiones: quapropter & Hypotyposin ac Ethopæiam persæpe requirunt, utpote illas Figuras, quæ rebus graphicè describendis inserviunt. Plura de circumstantiis colligantur ex dictis de Amplificatione per congeriem Adjunctorum; Antecedentia quoque & consequentia nonnulli Rhetorum, sub Causis & Effectis contineri affirmant.

CAUSÆ.

Q. Quid est Causa?

R. Est id, ad cujus esse sequitur aliud.

Q. Quot sunt Causarum genera?

R. *Quatuor:* Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis.

Q. Causa *Materialis* quotuplex?

R. Tri-

℞. *Triplex*: 1. *ex qua* aliquid fit, ut ex auro calix: 2. *in qua* aliquid ceu in subjecto recipitur, ut in animo scientiæ. 3. *circa quam* aliqua scientia, ars, vel potentia versatur. ut Rhetorica Ecclesiastica circa ea, quæcunque ad Dei gloriam, animarumque salutem pertinent: Intellectus circa verum, voluntas circa bonum, vel si aliquando circa malum, tamen sub ratione apprehensa boni.

℈. Quid est Causa *Formalis*?

℞. Est forma quædam, per quam res aliqua ita in sua natura constituitur, ut per eandem à cœteris distinguatur. Estque triplex: vel *Essentialis*, ut anima in homine; vel *Accidentalis*, ut calor in igne; vel *Artificialis*, ut forma domus constructæ.

℈. Quid est Causa *Efficiens*?

℞. Quæ efficit id, cujus est causa: ut Pictor imaginem.

℈. Quid est Causa *Finalis*?

℞. Propter quam aliquid fit: ut studii finis est scientia.

℈. Quomodo ducitur Argumentum à Causis?

℞. *Triplici ratione* ab omnibus Causis concludi potest. 1. Si affirmatis Causis præsertim necessariis, effectus quoque poni ostendatur. 2. Si negentur Causæ, negantur seu tolluntur & Effecta: 3. Si ex vi & potentia causarum res possibilis demonstre-

ſtretur. Sic probare poteris Reſurrectionem eſſe poſſibilem ex eo, quòd & DEUS ſit Cauſa efficiens, apud quem (k) *non erit impoſſibile omne verbum*; & cauſa materialis ſeu materia ac formalis, ſeu forma homine etiam mortuo ſuperſtes maneat.

EFFECTA.

Q. Quid ſunt Effecta?

R. Sunt ea, quæ ſunt orta de cauſis.

Q. Quot ſunt Effectorum genera?

R. Totidem quot cauſarum, nempe 4. nulla enim cauſa eſt otioſa, cuique proin ſuus correſpondet effectus.

Q. Quomodo arguendum ab Effectis ad cauſas?

R. Aut per affirmationem Effectûs affirmatur cauſa, aut per negationem effectûs, (ſi à cauſa neceſſaria proveniat) negatur cauſa: v. g. *Mundus hic aſpectabilis & omnia, quæ ipſius ambitu continentur, non caſu aliquo coaluêre, ſed mirô quodam conſiliô in tempore facta ſunt. Ergo exſtat aliquis illorum Effector.*

Q. Quæ ratio tractandi hunc locum?

R. Potiſſimùm per congeriem, non raro tamen exornatur per Converſionis & Complexionis Figuras.

Q. Quis eſt loci iſtius uſus?

R. Tam amplus, ut aliquando integras Orationis

(k) Luc. 1.

tionis partes in eo solo versari Tullius in Topicis affirmare non dubitaverit. In laudationibus, vituperationibus, descriptionibus, motibusque excitandis plurimum potest. Accipe vel unicum exemplum ex Chrysologo serm. 41. ubi gulam libidinis & morborum matrem tali amplificatione persequitur: *Bella Gentium legimus superâsse quàm plurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse, & audivimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Proh dolor! victores Gentium vitiorum fuisse captivos; stetisse inter sævientes gladios, & inter enervata lenocinia corruisse; Regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis: adversas acies contrivisse jejunos, & crapulatos suarum castra dissolvisse virtutum; jacuisse effusô vinô, qui jacere effuso sanguine nescierunt. Hoc non est ratio, sed languor; non vita, sed febris: phrenesis non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia dejicit, inficit stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit cholera m, extremum febris gignit incendium, toties æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desideriis, contrariis urgetur, salutaria respuit, quærit noxia.*

Q. Eccur hic Locus sæpiùs ab Oratoribus usurpatur, quàm locus à caussis?

R. Quamvis meliùs sit ex caussis, seu principiis res cognoscere, quia tamen effecta sunt caussis notitiora, idcirco faciliùs atque

adeò

adeò frequentiùs ex effectibus ad causas argumentamur.

COMPARATA.

Q. Quid sunt Comparata?

R. Sunt duo vel plura propter aliquid tertium sibi commune inter se collata.

Q. Quotuplex est Comparatorum genus?

R. *Triplex*: Majorum, Minorum, & Parium: id est magis, minùs, vel æquè probabilium.

Q. Quomodo ducitur argumentum *à majori ad minus?*

R. Quando minùs probabile concluditur ex magis probabili. Sic canit Ecclesia: *Vix justus salvabitur, & ego miser ubi parebo?*

Q. Quomodo ducitur argumentum *à minori ad majus?*

R. Quando magis probabile concluditur ex minus probabili. S. Ambrosius probat corporum resurrectionem. (*l.*) *Quid miraris, si homines, quos acceperit, terra restituat, cum seminum corpora, quæcunque susceperit, vivificet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat? Desine igitur dubitare, quòd depositum generis humani terræ fides reddat, quæ commodata sibi semina usurario quodam fænore multiplicata restituat.*

Q. Quomodo ducitur argumentum *à Pari.*

R. Quan-

(l.) *Lib: de fide Resurr.*

℟. Quando æquè probabile concluditur ex æquè probabili: v. g. *potuerunt hi & hæ, quare non tu?*

Q. Quibus præcipuè modis eleganter instituitur comparatio?

℟. Duobus: 1. per oppositionem, si majora cum minoribus vel è contra, aut paria ad invicem ita sibi opponantur, ut æqualitate membrorum secum quodammodo decertent. Illustre habes exemplum apud Cic. *pro Lege Manilia n. 11.* à minori ad majus. *Majores vestri sæpe Mercatoribus, ac naviculatoribus injuriosiùs tractatis bella gesserunt: vos tot civium Rom. millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quòd erant appellati superbiùs, Corinthum Patres vestri totius Græciæ lumen exstinctum esse voluerunt: vos eum Regem inultum esse patiemini, qui Legatum populi Rom. Consularem vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi civium Romanorum imminutam libertatem non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis?*

2. Dum uno Comparatorum crescente, alterum attollitur, quod neutiquam rarum est. S. Cyprian. (m.) *Quantò ille, cui invidetur, successu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit.*

Q. Quo

(m.) *Serm: de livor.*

Q. Quo differt comparatio præsertim Parium à similitudine?

R. Varii varias adferunt differentias, hæc tamen videtur cœteris efficacior, quia in similitudine duo vel plura secum duntaxat conferuntur, ut unum per alterum magis illustretur, non autem ex sese inferuntur, ut unum per alterum probetur: secùs in Comparatione unum infertur ex altero, & per illud probatur.

ARTICULUS III.

De Locis Argumentorum Assumptis.

Q. Quot sunt Loci argumentorum Assumpti seu Extrinseci?

R. Sex vulgò numerantur à Rhetoribus: *Leges* seu *Præjudicia*, *Jusjurandum*, *Fama*, *Tabulæ*, *Tormenta*, *Testes*; hos tamen omnes uno *Testimonio* commodè comprehendit Tullius *in Topicis n. 39.* & *in Part: à n. 12.*

Q. Quid est istud testimonium è mente Ciceronis?

R. Nomine *Testimonii* intelligit ille omne id, quidquid ab aliqua re externa vel persona sumitur ad faciendam fidem.

Q. Quotuplex ponit hujusmodi testimonium?

R. *Duplex*; Divinum & Humanum.

Q. Quas

Q. Quas species enumerat Cic: *testimonii Divini?*

R. Istas: *Oracula, Auspicia, Vaticinationes, Responsa Sacerdotum, Aruspicum, Conjectorum.*

Q. Unde hujus divisionis senarius desumitur?

R. Ex sex modis, quibus cum hominibus Dii loquebantur: vel enim loquebantur *per se*, & inde *Oracula*; vel per avium volatum, cantum &c. & est *auspicium*; vel *per homines*: idque, aut intus absque ullo signo externo, & hinc *vaticinia*; aut per interpretes, & hinc *Responsa Sacerdotum*; aut per inspectionem extorum cæsarum victimarum, & hinc *Responsa Aruspicum*; aut denique, per expositionem somniorum, & inde *Responsa Conjectorum* processêre.

Q. Prodestne Christiano Oratori hujus superstitionis memoria?

R. Profano vix aliquis, Ecclesiastico Oratori penè nullus ipsius usus esse potest.

Q. Quas species enumerat Tullius *testimonii humani?*

R. Aliud docet proficisci ab auctoritate Virorum, virtute ac eruditione illustrium, ut: *Exempla, sententias, Proverbia.* Aliud à voluntate Regum, Principum, Rerumpubl: *ut Leges, Edicta, Præjudicia.* Aliud ab Oratione sive libera, ut cùm reus crimen ultro fatetur admissum: sive expres-

sa,

sa, ut cùm reus vi adigitur ad sceleris confessionem. Verùm hæc omnia, cùm maximam partem contentionum forensium contineant, præcipuè sex illi Loci: *Legum*, *Jurisjurandi*. &c: proinde Generi Judiciali potissimùm deserviunt, atq; adeò sacro Oratori nulli usui sunt.

Q. Nonne habet Ecclesiastes alios Locos Extrinsecos, quos istis antiquis & forensibus subroget?

℞. Habet utique, qui *Concionatorii* appellantur, *Art: 5.* sequentis Capitis II. explicandi.

CAPUT II.

De Inventione communi sacri Oratoris.

ARTICULUS I.
De Textu sacro.

Q. Quænam in quovis Causarum genere sacro Oratori ad nostri præsertim sæculi genium concionem adornare volenti communiter sunt invenienda?

℞. Ista quinque: 1. Textus sacer. 2. Thema Concionis. 3. Thematis partitio. 4. Subpartitio. 5. Argumenta. De singulis totidem procedent Articuli.

Q. Quam pridem sacrum concionibus præmittendi *textum* consuetudo invaluit?

℞. Mo-

℟. Morem hunc cùm ipsis Ecclesiæ incunabulis cæpisse constat tum ex Christi exemplo apud Lucam (*n*) qui sabbati die non priùs sermonem inchoavit, quàm ex libro Isaiæ certum locum relegerit; tum ex usu Pauli Apostoli. (*o*) Quod cùm Hebræi quoque ante *legis* aut *Prophetarum* interpretationem factitassent, ab ipsis hanc consuetudinem ad Ecclesiam processisse conjicere fas est. Non ergo probandi aut imitandi viderentur, si qui ejusmodi textus hodie non usurpaverint.

℣. Unde sacra id genus sententia est assumenda?

℟. Cùm pro concione *Dei verba* sint explicanda, quæ solùm in *Scriptura Divina* continentur, inde & non aliunde (tametsi è Sancto Ecclesiæ Patre) textus est petendus. Die tamen *Cinerum* ordnarie inchoantur Conciones ab illis Ecclesiæ verbis in scriptura fundatis: *memento homo, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* aliàs autem rarissimè dicta Ecclesiæ in *Divinis Officiis* contenta pro textu adhibentur. Quanquam vero nihil vetet, quominus ex quocunque sacræ Scripturæ loco sententia eruatur, imo id aliquando commodiùs fieret, & ita à nonnullis sacris Oratoribus factum esse observare licet;

conven.

(*n*) *Luc.* 4. (*o*) *Act.* 13.

convenientius tamen ex Evangelio pro hac die præstituto aut saltem ex epistolis tunc legi solitis depromitur, nisi temporis, loci aut argumenti tractandi ratio, vel quæpiam similis circumstantia aliud suadeat. Sic in sermone funebri, dum alicui Regi, Principi vel viro illustri justa persolvuntur, textum, unde libet, desumere licet. In reliquis consuetudo locorum & temporum manutenenda.

Q. Quales textus sunt deligendi?

R. 1. *Breves*; ne prolixitate mentes auditorum defatigent. 2. tempori, loco, cæterisque circumstantiis accommodati 3. argumento convenientes & proprii, qui dicendorum summam virtute in se contineant. Unde & *Themata* vulgo dici solent. 4. proprium potius quàm translatum sensum habentes: 5. probantes præponuntur simpliciter affirmantibus. 6. ex utrisque aptiores habentur: *præcipientes*, *suadentes*, *prohibentes*, *minitantes*, *promittentes*. &c: 7. eximii sunt, de quibus non solùm generalis propositio, sed singulæ quoque partes concionis profluunt. 8. non sint violentè ad propositum detorti. Quare consulendi primò sunt *interpretes*, num textus hunc sensum contineat, quem ex illo eruere intendimus vel saltem facile eò accommodari possit.

Q. Quid circa delectum textus in praxi servandum?

R. 1.

℟. 1. Electurus aliquem textum perlegat prius vitam *Sancti* si non aliunde, saltem ex Breviario aut Evangelio, expendatque, quænam virtutes præcipuæ in hoc *Sancto* eluxerint, quod factum heroicum, quæ merita præ cæteris posuerit, quæ miracula patraverit. &c: Quibus perpensis, thema constituat, ac tandem textum suæ materiæ accommodum accipiat. 2. si diebus Dominicis concionaris, vide & tempestive prævide, quæ Evangelia, quibus virtutibus commendandis, aut vitiis exagitandis aptissimè conveniant, & juxta hæc tuos dispone sermones, ut ea, quæ suasurus vel dissuasurus es, cum Evangelio congruenter cohæreant. 3. Siquidem decreto Conc. Tridentini (p) Scripturæ editio Latina Vulgata, *longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata*, statuitur esse *authentica*, quales non sunt quævis versiones vernaculæ, idcirco non sine gravi ratione omnium fere Nationum Prædicatores Latinum semper textum allegant, quem dein ad captum vulgi vernaculè explicant, à qua longè antiquissima consuetudine haud recedendum puto.

ARTICULUS II.
De Themate Concionis.

Q. Quænam pars concionis *Thematis* nomine congruenter insignitur? ℟.

(p) *Sess.* 4.

℟. Illa, quæ summam dicendorum breviter ac dilucide comprehendit vulgò *Propositio* dicta.

Q. Quotuplex est Thema?

℟. Duplex: unum *Generale*, generatim aliquid dicendum proponens, quod dein per subsequentem divisionem ad certas partes determinatur. Et hoc à *Partitione* semper differt, ex ipsoque textu eruitur. vg: sit textus: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* 1. Cor. 6. pro panegyri S. Bartholomæo adornanda (q) fluet inde *Thema generale*, si dicas: *S. Bartholomæus totaliter Deo adhæsit.* Alterum *speciale* sive *particulare*, estque illud ipsum *thema* primum per quasdam divisionis partes exhaustum atque determinatum. Et istud semper cum partitione confunditur. Sic præfatum *thema: S. Bartholomæus totaliter Deo adhæsit* fit particulare & determinatum divisa, hac voce *totaliter*, quòd nempe adhæserit corde, spiritu, & corpore. *Corde* per amorem, *spiritu* per fidem, *corpore* per crucem. A quibusdam sacris oratoribus utrumque hoc Thema constanter usurpatur, quemadmodum in memorato *Laselve* observare licet, alii posterius tantùm plerumque cum partitione permiscent, prius autem latere sinunt, in quo mihi Ciceronem imitari videntur in plerisque orationibus generale pro-

(q) vid. *Laselve. hic.*

propositum occultum habentem. Contingit aliquando solū *generale thema* nulla sequente divisione proponi, quod in confirmatione per inductionem *particularium* patefit. v. g. *porrigam modos servandæ castitatis, quibus usus est sanctus iste, cujus hodie festa dies colitur.* In Confirmatione deducendum esset ex vita *sancti*, quòd ille mortificatione carnis. continentia oculorū, jejunio, vigiliâ, continuis honestis occupationibus id perfecit, ut castitatem inviolatam servaverit. Tandem concluderetur nobis quoque eadem esse media adhibenda. Nec absque exemplo veterum istiusmodi propositio institueretur, habet similem Plinius in Panegyrico Trajani: *non minùs considerabo, quid modestia tua ferre possit, quàm quid virtutibus debeatur.* Recentiores tamen præcipuè sacri Oratores tali themate non utuntur, sed determinatè in quibusdam capitibus integram dictionis suæ materiam clarè exhibent.

Q. Quæ virtutes sacrum thema decent?

R. I. *Veritas.* Non itaque sit *nimis paradoxū*, creditu difficile vel ipsi oratori *v. g.* si quis contendat: *corporis afflictationes quibusvis deliciis esse suaviores.* Multò magis cavendum est, ne sit *erroneum*, consilia pro præceptis divulgans, aut penitus *falsum*; turpissimum equidem est Doctorem veritatis Evangelicæ à vero deviare.

II. *Brevitas & perspicuitas.* Quis enim probaverit illorum superioris præsertim ævi Concionatorum morem, qui summum in eo artificium ponentes, ut suarum *themata* orationum celarent, adeo multis abstrusisque verbis eadem implicuere, ut Lyncæus sit aut Oedipus, qui perspiciat ac divinet, quid velint. Neque opponat quisquam veterum profanorum exempla Oratorum, qui hoc impunè facere poterant, siquidem causæ in foro agitatæ omnibus fuerunt perspectæ: contrà officium Ecclesiastæ est, morum disciplinam, fidei dogmata, ac præcipua Religionis nostræ capita explicare, quæ aliis prorsus ignota, aliis minus nota sunt, nec profectò sine brevitate, & perspicuitate reddi poterunt notiora. Elaboret igitur in eo sacer Orator, ut quàm brevissimis atque clarissimis verbis suum thema proponat, quod à rudioribus quoque doctiori passim permixtis Auditoribus confestim percipiatur.

III. *Simplicitas.* Id est, quodvis thema unum non multiplex argumentum complectatur, quia non una sed multiplex fiet oratio, *v.g.* dicam 1. *de damnis ex prava sodalitate emergentibus.* 2. *de bona educatione Filiorum.* Quamvis enim thematis divisi membra non necessario à se invicem pendeant, debent tamen esse conne-

connexa, & ad unum finem tendentia, ne sint aliàs scopæ dissolutæ. En exemplum recti thematis de *restitutione.* Aliena 1. *sunt restituenda necessario,* 2. *sunt restituenda citò.* 3. *sunt restituenda totaliter.* Vide: hic singula ad restitutionem ejusque naturam perfectè explicandam referri.

IV. *Conformitas.* Nempe ut sit conforme 1. *Evangelio*; non enim alio consilio singulis dierum celebritatibus suas Ecclesia destinavit Evangelicas lectiones, quàm ut doctrinæ inibi contentæ pro concionibus populo explanentur. 2. Ipsi etiam *textui* assumpto; nam frustra præfigeretur, si propositum absque ulla ejus mentione stare possit. 3. *tempori*; sicut equidem diversis temporibus diversas Ecclesia accommodat Evangeliorum lectiones, ita concionum themata dierum solemnitatibus sunt conformanda. 4. *Loco* & *Personis*; ut scilicet in illa potissimum zelosus Ecclesiastes invehatur flagitia, quæ eò loci maximè grassantur, aut Personis istius sexus, ætatis, conditionis sunt communia. Id, quod observandum præcipit Apostolus. (r.) Cæterum summopere caveat prudens animarum medicus, ne pro salutaribus pharmacis ægris venena propinet, aut ipse in lapidem offen-

(r.) *Tit;* 2.

dat, puta si quæ in Confessione excepit, mox contra ea præsentibus pænitentibus insurgat, aut ad sinistram Delatorum informationem Præfectorum vel Prælatorum suorum mores accusantium eos statim reprehendat, indeque non levem contra se invidiam conflet.

V. *Utilitas.* Utile autem erit thema, si assumatur *practicum*, moribus potius formandis, quàm curiosis mentibus pascendis aptum. Quare subtilia quæque verbi Dei Minister silentio premat; frustra enim dicitur, quod non intelligitur. Quæstiunculas multis dubiis involutas, *problematicas*, *probabiles* sive probatis ab auctoribus in utramque partem disputari solitas Scholis discutiendas relinquat. Quodsi id ipsum postulet necessitas, nudam veritatem declaret absque eò, quod diversarum opinionum fundamenta recitet. Errores Lutheri, Calvini, aliorumque Hæresiarcharum de Prædestinatione, vera Corporis CHRISTI in Eucharistia præsentia, immortalitate animæ &c. cum illorum fundamentis neutiquam referat; hoc enim esset potiùs scandala quàm veram doctrinam seminare.

VI. *Novitas.* Attentior namque redditur Auditor, si non nudè & vulgariter proferatur thema, verùm aliquam novitatis speciem præseferat. Quibus autem id mo-

id modis præstari possit, dicetur infra. Hìc solùm cautum volo virum Apostolicum, nè tantopere novitatibus studeat, ùt paradoxa, obscura, temeraria, ridicula, vana, quàm trita & vulgaria proponere malit.

Q. Quæ vitia in delectu *thematum* fugienda?

R. I. ne sint *Allegorica. v. g.* si Sanctum aliquem probes esse *Lilium*, *heliotropium*, *stellam primæ magnitudinis &c.* in quibus etiamsi omnes eloquentiæ nervos exserat Orator, nunquam efficiet, ut prædicatum talis Præpositionis verè affirmetur de subjecto. Verùm equidem, non inficior, diu apud veteres posterioris præsertim ævi Oratores sacros æquè ac profanos morem hunc obtinuisse, ut in Genere *Exornativo* cujusdam novitatis gratiâ sua themata potissimum per Allegoriam elevarent: in quo excusandi magis; siquidem vitium hoc temporum illorum commune fuit, quàm imitandi videntur. Quanquam nec nostra ætate illas propositiones allegoricas quispiam reprobaverit, quæ bellè è Sacris Scripturis deprompta fuerint. Cùm enim Evangelium Parabolis & similitudinibus abundet, sæpe Verbi Divini interpres quò magis ad textum Evangelii sermonem suum accommodet, Allegoriam continuare tenetur. At illa themata Al-

legorica, recentiores à ſacro pulpito relegant, quæ conſulto vel à rerum naturalium proprietatibus, vel ex fabellis Poëticis, aut Hiſtoriis profanis, vel ex Anagrammatibus, nominum notatione, aut Conjugatis accerſuntur, nec partem aliquam ſed ipſum orationis corpus efficiunt. *v. g.* ſi Polonus Concionator tales vel ſimiles ſtatuat Propoſitiones: *Krzyż Chryſtuſow, ieſt to Wytrych do Nieba. Swięta Katarzyná ieſt Kołkiem, ktorym ſię do nas Fortuna toczy. Grzech ieſt ſiedmiogłowną Hydrą. Swięta Konſtancyá ieſt Koſtką wygrany, albo przegrany wieczney. &c.* Saniùs alii Oratores (quorum etiam fuit ætas) ſanctos Indigetes cum veteris Teſtamenti Patriarchis, ut Moyſe, Gedeone, Davide, Salomone conferebant, cujus cùm in ſacris quoque Literis ac SS. Patrum monumentis exempla habeamus, nec moderni Oratores hocce argumenti genus aſpernantur, maximè in Confirmatione, licet pro themate illud non uſurpent.

II. Nec ſint nimis *generalia*, nec nimis *ſterilia*; utraque enim non carent incommodo. *Genericum thema* utpote latiſſimè diffuſum & extenſum, nec amplificationi Oratoriæ locum dabit, nec ullam certam diſtinctamquè virtutis aut vitii ideam exhibebit: v. g. *Oſtendam vobis vias ad Cælum ducentes.* Vel *agam de injuriis, quæ infer-*

inferri solent in bonis Spiritualibus, in bonis corporis, famæ & fortunæ, nec non necessaria restitutione. Aut laudaturus Sanctum aliquem intendat exactè persequi omnia, *quæ cum ipso acciderint ante vitam, in vita,* & *post vitam.* Quæ, ut vides, totius libri aut *tractatus* ut vocant, Theologici non unius concionis sunt Argumenta. Sive ergo in *Panegyricis,* sive in *Suasoriis* Orationibus assumenda semper est una aliqua virtus, vel si & ista adhuc nimis latè pateat, ita, ut justæ concionis materiam excedat, sufficit partem in ea inclusam, aut singularem aliquam illius actionem ritè posthac explicandam, atque amplificandam proponere, vel etiam illustre quoddam facinus, quod Sanctum illum à cœteris distinguat, & ipsius veluti character sit proprius, exaggerare. Paucis complectar, semper *thesis* ad *hypothesim* est revocanda. v.g. S. *Barbara ubique* (thesis) *gloriosa permanet.* *In turri* (hypothesis) *in qua à Patre clausa, & diu detenta est: in Tribunali, ad quod à Martiano Judice vocata: in Cælo, in quo à CHRISTO Sacrarum Virginum Sponso recepta.* Item *Pænitentia non est differenda* (thesis) *in futurum. Nec*(hypothesis)*usq; ad mortẽ, nec usq; ad temp9 longe distans: nec usque in crastinum.* Thema *sterile* ad aliàs pariter angustias Oratorem redigit, cum sine novi cujusdam argu-

argumenti ſubſidio ita dilatari non valeat, ut integram concionem explere poſſit. Contingit hoc Eccleſiaſtis tum maximè, dum ad aliquas circumſtantias puta parabolæ, virtutis, aut actionis cujuſdam ſe nimis adſtringunt.

III. Vanæ ac ridiculæ habentur Propoſitiones alludentes rebus profanis, ut nominibus illuſtrium proſapiarum, earumque gentilitiis inſignibus, quæ niſi per temerariè contortas Scripturas probari nequeunt. Themata quoque quoſdam actus hominum moresque imitantia ac effingentia magis ad ingenii oſtentationem valent, quàm animarum ſalutem. Ut: inſtituere proceſſus judiciarios, teſtes inducere, bella movere, aciem inſtruere, apparare convivia, ludos, venationes &c. repræſentare, totoque ſermonis tractu deſumptas inde Allegorias continuare.

IV. Figuratæ querelæ ſive incuſationes, aut reprehenſiones DEI, B. V. MARIÆ, Angelorum bonorum malorumve cæterorumque Cælitum &c. ſeu integrum argumentum, ſeu aliquam ejus partem conficiant, non tantum tritæ nimis & inſulsæ ſunt, verùm ſi modum excedant, etiam ſcandalum parere conſueverunt. v. g. ſi in Sanctam Magdalenam acriùs inſurgatur, quòd cùm noverit, quàm ſcelerata ſit, (ubi anteacta ipſius vitia ſupra

modum

modum exaggerarentur) audeat tamen ad Sanctiſſimos JESU pedes advolvi, tandem ex eo laudetur.

V. Meminerit ſacer Orator certos Officii ſui limites eſſe poſitos, ne præſtitutos ſibi cancellos prætergreſſus civilia prorſus negotia, politicasque materias ſive publicas, ſive privatas non abſque criminatione Ordinum, Communitatum, Magiſtratuum, aut privatarum læſione Perſonarum apertè, duriter & abſonè pertractet. *e.g.* ſi de forma regiminis Politici, bello, pace, diſſenſionibus, militia augenda vel exercenda, vectigalibus pendendis, aut cenſibus curiæ in aliqua villa perſolvendis &c. largiſſimè diſcurrat. Liberiores licet hac in re ſint ii Poloni Oratores, quibus die inchoandorum generalium Regni Comitiorum ſacra in principibus Baſilicis Oratio dicenda demandatur, moderatè tamen ea licentia ſemper utentes & legimus, & audimus.

VI. Profectui fidelium conſulens Eccleſiaſtes inutilibus pertractandis abſtinebit: Verbi cauſa: *Sitne modo Paradiſus terreſtris, & ubi locorum? Tribusne an quatuor clavis fuerit CHRISTUS Cruci affixus? ex qua Arbore fuerit Crux Chriſti, aut virga Moyſis, vel ramus oleæ, quem columba ad Arcam attulit? &c.*

Q. Quod ergo reliquum eſt argumentum ab Oratore ſacro in praxi uſurpandum?

℟. Præ-

℟. 1. Præcipuas semper Orthodoxæ Religionis veritates ad usum fidelium admodum profecturas in concionibus moralibus tractandas deligat, qualium exempla habet in Sermonibus S. Chrysostomi ad populum Antiochenum. Ut: *Christianum oportet vitam rectam habere. Mors non est timenda. Modico vino utendum. Eleemosyna est ars omnium artium quæstuosissima. &c.* quæ & Auditori utiliora, & sibi ad pertractandum multò sunt faciliora. 2. Expedit demonstrare Bonorum operum necessitatem; plerique enim sola fide contenti sunt, abundeque sibi sufficere autumant, quòd specioso Christianorum nomine insigniantur. Hæc doctrina præterquam quòd maximè congrua & utilis sit, etiam tacitè Lutheri turpissimi errorem refellit. 3. Suadeat Ecclesiastes fugam criminum tam gravissimorum, ut homicidii &c. quàm etiam illorum, quæ communissima sunt, itaque vulgata, ut quasi levissimi, aut penè nulli defectus contemnantur. Horum in numero censentur: *detractio, turpis quæstus, ambitio, ingratitudo, temulentia, imprecationes, mendacia, perjuria &c.* 4. Injuriæ in quocunque bonorum genere illatæ gravitas, ac restitutionis necessitas declaretur. 5. Peccati turpitudinem & acerbissima inferni tormenta sæpiùs Concionator ob oculos ponat, mor-

tis me-

tis memoriam inculcet, novissimi judicii terrorem incutiat. 6. Divorum quoque Martyrum atrocissimos cruciatus identidem in memoriam revocet, quo magis fideles ad constantiam & patientiam animentur, ad amorem DEI excitentur, qui eos, licet tanta perpessi non fuerint, salvos facere paratus est. Plura id genus suggeret usus & industria Oratoris.

℈. Unde Concionum themata sunt eruenda?

℞. Ex fontibus Sacræ Eloquentiæ propriis. Ut:

I. Ex *Scriptura Divina universè* tali modo: Perlecto Evangelio ejus diei, qua dicturus es, diligenter considera, quid aptum & conforme eidem Evangelio, tempori, & Auditori dicere velis, *v.g.* num *de amore DEI, aut proximi, de Eleemosyna, vel patientia*, sermo sit instituendus? quo determinato habebis Propositionem generalem, seu *thesim*. Si nihil menti occurrat, per quod ad *Hypotesim* revocetur, consulatur *Index Biblicus*, *Concordantiæ* aut *Polyanthea*, quid sub hac voce v.g. *Amor*, *Eleemosyna*, & *Patientia* vel Synonimis, aut ab ipsis derivatis, ut: *charitas*, *misereor*, *misericors*, *misericordia &c.* illic reperiatur, & facile quidpiam invenietur, quod thema generale determinet, fietque *Propositio particularis* dictis tribus circum-

circumſtantiis accomodata &c.e.c. ex Indice Bibliorum verbo *eleemoſyna* reſcies *Tob.* 4. haberi. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te vertatur facies Domini.* Unde tales formare poteris Propoſitiones: 1. Ex verbis: *Ex ſubſtantia tua:* Eleemosyna danda eſt ex ſolis bonis propriis. 2. Ex verbis: *fac eleemoſynam;* ad faciendam eleemosynam obligamur jure Divino. 3. Ex verbis: *& noli avertere faciem tuam ab ullo paupere;* in præſtandis operibus miſericordiæ, non ſit acceptio perſonarum. 4. Ex verbis: *ita enim fiet, ut nec à te vertatur facies Domini;* DEUS miſericordibus miſeretur. Similiter procedendum in *Concordantiarum* & *Polyanthearum* uſu, quæ longè uberiores capiendorum thematum fontes adaperient, quin in *Polyantheis* ipſa plerumq; themata cum probationibus leguntur.

II. Depromuntur Propoſitiones ex Evangelio pro hac die præſtituto, in quem ſermo paratur, idque triplici ratione.

1. Dum ſenſus Evangelii expenditur, & doctrina in eo contenta ad certa capita redigitur, quæ dant totidem unius vel plurium concionum argumenta &c.e.c. *Dominica I. poſt Paſcha* principalia Evangelii puncta ſunt: 1. *Apparuit JESUS Diſcipulis abſente Thoma, qui poſtea narrantibus*

bus ipsis non credidit. 2. *Dedit eis potestatem prædicandi, & peccata remittendi.* 3. *Apparuit iterum JESUS Thoma præsente, atque credente.* 4. *Reprehenditur Thomas, quòd non crediderit, donec viderit.* Singula hæc membra apta ſunt totidem themata Concionum miniſtrare. Primum tale: *non temere credendum eſt.* Secundum: *Obtemperandum eſt Sacerdotibus è Cathedra docentibus; quia ſunt legitimi Doctores à DEO miſſi: ſubmittere nos peccati reos debemus iiſdem pro tribunali ſedentibus; quia ſunt legitimi Judices, à DEO deputati.* Tertium: *Poſt diligentem rerum vel* (ut vocant Theologi) *motivorum credibilitatis diſcuſſionem tandem credendum eſt.* Quartum: *in myſteriis fidei non eſt quærenda evidentia ſenſuum, aut rationis.*

2. Dum in toto Evangelio obſervatur una vel plures voculæ aliquid notabile indicantes, vel quoddam myſterium includentes. Sic in prædicto Evangelio advertere licet in prima apparitione Chriſtum repetiiſſe: *Pax vobis*, quod daret occaſionem Prædicatori diſſerendi de duplici pace: *Intellectus* videlicet & *voluntatis*; illius per plenam ſui jubjectionem fidei Divinæ: iſtius per obedientiam legi Divinæ. Si verò placeret etiam tertiò ingeminata in altera apparitione verba: *Pax vobis* adjungere, daret hoc anſam diſcur-

ſcurrendi de triplici pace hominis: cum *DEO*, cum *proximo*, & *ſecum ipſo*. Cum *DEO* per *pœnitentiam*; cum *Proximo* per *lenitatem*; *ſecum ipſo* per *humilitatem*.

3. Quando ſinguli *textus* quin ſingula textuum vocabula expenduntur, *ſubjectum* & *prædicatum* eorum ſeorſim vel ſimul, aut *affectiones* utriuſque ad trutinam vocando. Modus hic D. Thomæ in ſuis Sermonibus familiariſſimus eſt, ut miſſos faciam alios, *Dominica I. poſt Epiphaniam* ſeu, quemadmodum ibi legitur: *Dominica infra Oct: Epiph: ex Evang:* planiſſimè & diſertiſſimè utrumque terminum, illorumque affectionem examinando uberrimam dicendi præbet materiam. Aſſumit textum: *Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus Te.* Luc: 2. Diſtinguit *terminos* (cur enim à Logicorum loquendi conſuetudine abhorream?) *notantur autem*, inquit, *in iſtis verbis tria: Primo, quærentes: ſecundo, modus quærendi: tertio, inquirendus vel quæſitus. Primum ibi:* Ego & Pater (ecce ſubjectum) *ſecundum ibi.* Dolentes: (ecce affectio) *tertium ibi.* Quærebamus Te, (ecce prædicatum.)

III. Quandoquidem ob ſenſus obſcuritatem plerumque non protinus cogitanti ſuccurrit opportunum *ex Evangelio* thema, juvat Sanctorum Eccleſiæ Patrum *Homilias*, aliorumque Scripturæ interpretum expli-

explicationes revolviſſe; quo perfectiùs exploratum habeamus, quem textus difficilior ſenſum *Literalem*, *Tropologicum*, *Allegoricum*, atque *Anagogicum*, (quos mox explicabo) contineat: & copioſiſſima apud eos multarum orationum ſeſe offerent argumenta.

IV. Denique in *thematum* inventione non modicum juvari poterit tiro operibus *Sacrorum Oratorum*, quœ ipſi juris publici fecerunt, ſervatis tamen Oratoriæ imitationis regulis ſupra explicatis. Sicut equidem depromptas ex iis propoſitiones elaborare, aut ſimiles excogitare laudi datur: ita alterius ſermonem tanquam ſuum integre declamare vitio vertitur. Nihilominus ſi quiſpiam aliis Apoſtolicis laboribus diſtentus, aut naturam in animi dotibus novercam expertus putat ſe Auctorum operâ amplius Auditori profuturum, quàm ſuâ, eligat in Rhetoricæ notari vitio, quàm ſuo non ritè fungi officio. Neque ex Recentiorum modo, ſed Veterum etiam Concionatorum ſermonibus copioſiſſimis velut fontibus themata hauriri poſſunt adeò abundanter, ut una illorum concio pluribus ex arte conficiendis propoſitiones ſuppeditet. Dicta probat *exemplum*: conſtituiſti in animo ſuadere obedientiam parentibus, & ſuperioribus exhibendam, lege Concionem pri-

mam

mam Stanislai Makovii *Dominica I. post Epiphaniam*, isthoc argumenti genus examinantis, reperies ibi: 1. *CHRISTUS suo exemplo docuit homines, quomodo Parentibus & Superioribus subditi esse debeant.* 2. *Filii jure naturæ debent Progenitoribus suis obedientiam, gratitudinem, & reverentiam.* 3. *Illos sua benedictione replet DEUS, qui Parentibus morem gerunt.* 4. *Proles contumax voluntati paternæ resistens tria gravissima peccata committit; violat enim* 1. *Præceptum DEI.* 2. *Virtutem pietatis.* 3. *Jus naturæ.* 5. *Mors, damnatio, & omne malum rebelles consequitur.* 6. *Qui debitum genitoribus suis honorem & reverentiam præstant, promissam sibi à DEO vitam longævam vivunt.* Similem reliqui Loci Concionatorii *Art:* 5. referendi *thematum* copiam Sacro Oratori ministrabunt.

Q. Quid est *thema*, ut inquiunt Rhetores, *elevari*?

R. Est illud ita efferre, ne tritum nimis ac vulgare sit, sed quandam *novitatis* speciem conciliandæ attentionis ergo præseferat.

Q. Vellem scire aliquos thematis elevandi modos?

R. Alii utrique eloquentiæ communes sunt, alii proprii sacræ. In primorum numero reponendum, si propositio simplex proferatur, 1. per *Definitionem v. g.* usurarii

multos ad inopiam redigunt; effert *Laſelve: uſurarii ſunt publici latrones.* 2. per *comparationem* v.g. Nullum vindictæ genus eſt glorioſius, quàm dum pro injuriis beneficia rependuntur. 3. per modum *ſententiæ*, dum gnomæ vel adagia pro concionis themate ſtatuuntur. v.g. *male parta cito dilabuntur. Quiſque ſuæ fortunæ faber.* Cavendum tamen eſt, ne proloquia trivialia uſurpentur, qualia apud Polonos ſunt: *iáki Pan, táki kram. Iáka pracá, táka płacá.* &c. 4. per Antitheta. e.c. *magnæ divitiæ paupertas. Euchariſtia mors eſt malis, vita bonis.* 5. per Paradoxum, ut: *Eleemosyna ars eſt diteſcendi optima.* 6. per Allegoriam ex verbis Evangelii, vel in profana oratione aliunde depromptam.

Poſteriores thematum elegantiæ ex propropriis ſacræ eloquentiæ locis conciliantur, ut: 1. *ex Scriptura Divina;* tanto quippe elegantior eſt propoſitio, quanto ex aſſumpto Textu fluit directius. Talem obſervare licet in eximia Concione *Perilluſtris Reverendiſſimi Domini Domini JOSEPHI de Łubna ŁUBIENSKI,* Decani Metropolitani Gneſnenſis, Archidiaconi Cracovienſis, nunc in Italiam à Sereniſſima Rep: Legati, die Comitiorum Generalium Regni A.D. 1760. Varſaviæ dicta, ac dein honori Celſiſſimi Principis *VLADISLAI ALEXANDRI ŁU-*

BIENSKI, Archi-Episcopi Metropolitani Gnesnensis, Regni & M.D.Lithvaniæ Primatis, Primique Principis, ac in præsentiarum *Inter-Regis* dicata, ubi ex iis textus verbis: *In silentio & in spe erit fortitudo vestra.* Isaiæ 30. hæc deducitur propositio: *Więc o tym ia samym dzisiay mówić nieco obszerniey przy zwykłym Kazania moiego ná dwie Części podziále, za Boską pomocą umyśliłem. W pierwszey tego dowodzić będę:* iże Cichość y skromność iáko we wnętrznym pokoiu gruntuie, ták y w zewnętrznym ubespiecza; *in silentio. w drugiey pokáżę:* iże ufność stateczna w BOGU, cichym y skromnym zwyczayna mężnemi nas, y spokoynemi ná wszelkie przeciwności czyni; *& in spe erit fortitudo vestra.* Aliquando duo textus assumuntur, ex Evangelio unus, alter aliunde: vel si duæ in unum diem celebritates incidant, alter ex uno, ex secundo alter Evangelio peti poterit, utrobique thema ut splendorem habeat, utrique textui debet esse conforme. 2. Gravissimum & pulcherrimum est dictionis argumentum quod è propriis Ecclesiæ Patrum, Pontificum, cœterorumque Sanctorum Virorum verbis constat. *E. c.* inæstimabilem temporis valorem ostensurus proponere posset illam S. Bernardi (*s.*) sententiam:

Vide

(s.) *Serm. 4. post Dom. I. Quadr. c. 4.*

Vide peccator temporis pretiositatem; quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, & gloriam. Ecce in tribus membris integram dicendi materiam. 3. Accedit quoque venustas thematis, dum ex imaginibus sanctorum, quibus passim præcipuæ eorum virtutes, aut illustriora facta adumbrari solent, concipiuntur. Sic icon *S. Joannis Nepomuceni* admoto labellis digito silentium indicantis præberet opportunitatem laudandi ipsum *à silentio ob secretum Sacramenti religiosè servatum*; contra verò deterrendi homines *à silentio ob peccata in Sacramento sacrilege celata.* 4. denique themata orationis sacræ ex certis Sanctorum Actis, dictis, Scriptis, statibus &c. conflata eò sunt nobiliora, quò rariora. Verbi causa: si S. Augustinus libris *Confessionum* sua peccata orbi universo revelans proponeretur *indoctis in exemplum verè pœnitentis*; libris autem *Retractationum* suos errores revocans exhiberetur *doctis in exemplum veræ humilitatis*, aut si S. Martinus consideretur ut *Miles*, ut *Monachus*, ut *Antistes*, & ubique Vir perfectus ac Sanctus ostendatur. Similiter Diva Elisabeth posset demonstrari Sancta *Virgo*, sanctior *Conjunx*, sanctissima *Vidua*.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Thematis Partitione.

Q. Quid est *Partitio* Thematis?

R. Est Propositionis certas in partes distributio.

Q. Quo tempore sacrum partiendi thema mos obtinuit?

R. Usus *Partitionum* à profanis Oratoribus profectus, à S. Hieronymo (*t.*) probatus, à D. Thoma in suis sermonibus licet non in ea, quæ hodie viget, forma, etiam usurpatus fuit.

Q. Quamobrem *Partitio* tantopere invaluit, ut nulla jam dictio, absque illius usu præclara habeatur?

R. Ob insignia, quæ adfert, commoda. Nam 1. Miram orationis perspicuitatem suo ordine parit. 2. Docilem attentumque facit Auditorem, cùm intelligat, quid sibi ab Oratore promissum habeat, & quomodo fidem liberaturus sit, curiosus exspectet. 3. Discentis æquè ac audientis memoriam adeo juvat, ut alter dicendorum, dictorum alter facile reminiscatur, finitoque discursu, totam ejus seriem recitare valeat, præsertim dum singulæ vel aliquæ *divisionis* partes, ubi ad illas examinandas ventum fuerit, subdividuntur.

Cujus

(t.) *Epist: inter selectas 59. ad Paulinum.*

Cujus exemplum non deest in Ciceron: *Pro lege Manilia.* In primis enim partitur totam orationem in tria membra sic: *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo esse dicendum.* Postquam absolverit duo priora divisionis membra, in tertio hac subdivisione est usus: *Ego sic existimo in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere: virtutem, scientiam rei militaris, auctoritatem, felicitatem.* Singulas istas Imperatoris dotes confirmando persequitur, atque Cn. Pompejo inesse demonstrat.

Q. Qualis esse debet partitio?

R. I. *Naturalis*; id est non vi intrusa, sed in ipsis causæ visceribus contenta sive *Aperte*; ut: *vigilate & orate ne intretis in tentationem*, duo adversus tentationum assultus præsidia: primum *vigilate*; alterum *orate*. sive *occulte*: ut: *non est pax impiis*; 1. nec *in vita*, 2. nec *in morte*, 3. nec *post mortem*.

II. *Adæquata*; hoc est, nec plus, nec minus dicens, quàm propositio ipsa per se sonet. Debent enim partes & exhaurire totum Argumentum, & esse argumenti partes, non aliunde male adunatæ. Unde istius thematis: *Docebo vos, quomodo peccata per Sacramentum Pœnitentiæ expientur*; vitiosa esset hæc divisio. 1. Dolen-

lendum est sincerè, quod ea commiseri-
mus, 2. proponendum firmiter, quòd ea
in posterum non committemus; restat nam-
que de *Confessione* & *satisfactione* aliqua
mentio facienda. Idem judicium esto de
partitione omnes istas pœnitentiæ partes
complectente, & insuper ad restituti-
onem sese extendente.

III. Membra divisionis non sint multa;
duo, vel tria, vix plura, eaque non ni-
mis generalia, libri potius, quàm unius
concionis materiam præbitura. e.g. ape-
riam 1. *causas*, 2. *damna*, 3. *remedia*
iræ.

IV. Partes thematis invicem distinguan-
tur, aut sibi quoquomodò opponantur, ne
una alteram includat. Perperam igitur
divideret, qui Sancti cujusdam Ecclesiæ
Viri encomia ad vitam, actiones, & præ-
mia ipsius revocaret; actiones quippe in
vita contineri videntur: aut si quis à san-
ctitate & pietate electum Dei assumeret
commendandum; cùm sanctitas etiam pi-
etatem complectatur.

V. Nihilo minus erraret, qui divisionis
capita omnino disparata adhiberet. Ver-
bi causa: agam 1. *de obedientia Superiori-
bus præstanda*. 2. *de operibus misericordiæ
exercendis*. Quæ connexio? Membra cer-
tè Propositionem dividentia ita debent
esse diversa, simul ut sint connexa, scili-
cet

cet ut singula ex ipsius subjecto, prædicato, aut utriusque affectionibus promanent, & tanquam ad scopum reduci queant. Ut in hac partitione: si vis in æternum triumphare, tres capitales hostes vincendi sunt: mundus, caro, & satanas: licet *mundus*, *caro*, & *satanas* sint res diversissimæ, in subjecto tamen propositionis ly: *hostes*, secum conveniunt.

VI. *Claritas* & *brevitas* in primis Partitionum dotibus censentur. Et verò quid foret insanius, quàm ea tenebris involvere, quæ cæteroquin propter orationis lucem sunt adinventa? Quo circa Gallis præcipue Oratoribus in more positum est, divisionis Argumentum aliis atque aliis semper tamen explicatioribus dicendi formulis tamdiu quasi per incrementum repetere, dum tandem illud verbis, quoad ejus fieri potest, maximè perspicuis ac paucissimis concludant. Exempla apud eos sunt obvia, unum cape P. *Laselve* (*u.*) ut totam decollationis enarremus historiam, totamque hanc describamus tragædiam, humili stylo proponam *Joannem*, qui prædicat; *Herodiadem*, quæ illum persequitur; & *Herodem*, qui illum ad mortem damnat. In Joannis prædicatione maximus elucet zelus; in Herodiadis persecutione horrenda apparet malitia;

(u.) *Conc: uni: de S. Joan. Bapt: decollat.*

litia; & in *Herodis* ſententia inaudita ineſt injuſtitia. Videamus: 1. *zelum Joannis*, qui prædicat: 2. *malitiam Herodiadis*, quæ illum perſequitur: 3. *injuſtitiam Herodis*, qui illum condemnat. Supple ſi placet: *zelus Joannis*, *malitia Herodiadis*, *injuſtitia Herodis* en tres Concionis partes.

VII. Denique in Partitione tam inſtituenda, quam deducenda ſervandus eſt *ordo*. In *inſtituenda* quidem, ut illud membrum alteri præmittatur, quod natura, dignitate, tempore, vel aliquo tandem modo prius eſt, aut certe ex illo reliqua ſequuntur ſeu facilius intelliguntur. In *deducenda* verò, ut eodem ordine ſingula membra nullo præterito, aut immutato tractentur, quo fuerunt propoſita.

Q. Quibus è fontibus thematum partitiones petendæ.

℟. Universè ex omnibus locis Oratoriis tam utrique eloquentiæ communibus, quam ſacræ propriis. Ex *communibus* uberiores ſunt: Definitio, Enumeratio, Cauſæ, Effecta, Genus, Species, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, denique cujuſcunque generis oppoſita. *Proprii* iidem propoſitionum diviſiones dabunt, de quibus ipſa *themata* eorumque elegantias depromi oſtendimus. (x)

Q. Qua

(x.) *Artic. præcedente.*

Q. Qua ratione ſacri argumenti partitio practicè elicienda ac efferenda ſit?

R. I. Videat præprimis Orator, quid integro diſcurſu efficere velit, nempe conſtituat ſibi *Crinomenon* ſeu ſcopum ad quem collimet oratio. Deinde conſideret, quibus illum rationibus attingere poſſit, eaſque prudenti conſilio ad aliquem ordinem reducat, qui ordo erunt totidem diviſionis pates. 2. Concionator verba aſſumpti textus diligenter trutinet, imo Commentatores alioſque id tractantes conſulat, qui plerumque diviſiones ei apertè ſuggerent, ut D. *Thomas in Catena aurea.* 3. Prædicatum, ſubjectum & affectiones Propoſitionis examinentur, ſingula hæc, vel omnia ſimul accepta partitionum erunt feracia. 4. nec ſteriles ſunt circumſtantiæ illæ decantatæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Noverit enim tiro diviſionem hic non omnino rigorosè eſſe ſumendam, *v.g.* totius in ſuas partes, vel generis in ſpecies, ſpeciei in individua: ſed etiam ratione diverſorum objectorum, reſpectûs varii, multiplicis finis &c. *e.g.* Parentes debent rectè inſtituere filios, ut conſulant 1. *Bono ſuo.* 2. *bono Filiorum.* 3. *bono publico.* 5. Perpendatur genus *Cauſæ*; nam in *Panegyrico* profluet partitio, vel ex diverſis

versis sancti virtutibus, vel à variis statibus, officiis & gestis: in *Morali* procedet dictio per varia capita necessitatis, aut utilitatis in acquirendis virtutibus, aut vitiis fugiendis, per varia præsidia sive auxilia ad id opportuna, per conditiones aut proprietates virtutum, per signa progressus in vitæ perfectione, per indicia *electionis*, aut *reprobationis* &c. Denique in genere *Didactico* divisionem suggerent Spiritus & Litera in scripturæ textibus, consilia Dei, & officium hominis, virtutes ex eo, quo de agitur, mysterio emanantes, vitia illi opposita, fructus inde repetendi, &c. Exemplis nolo tenuem onerare opellam, quæ in Oratoribus hujus ævi, aliisve Auctoribus, qui consulto analyses, seu sacrarum orationum ideas pro Dominicis, festisque anni diebus confecere, Cœlestis eloquentiæ candidatus feliciùs observabit. In efferenda verò partitione claritas id deposcit, ut indicetur, quid priore, quid posteriore loco dicendum proponitur. Quod Poloni Concionatores præstant adjectis ad singula membra his vel similibus vernaculis verborum formulis: *Wytłumácz ę naypierwey, wytłumaczę powtore, wytłumaczę potrzecie* vel: *to pierwsza część Kazánia, to druga część Kazániá &c.* vel: *to pierwszym, to drugim, to trzecim będzie punktem nástępu-*
iącego

iącego dyſkurſu. vel: *te dwie okoliczności ſą podziałem mowy moiey.* vel: *to nayprzod, to potym, to náoſtatek dowiodę.* vel: *Ten troiáki wzgląd będzie całą waſzey uwági, á moiey mowy máteryą.*

Q. Unde venuſtas accedit Partitionibus?

R. Ab Argumentationibus & Figuris Rhetoricis. A prioribus hoc modo:

I. Venuſtè ſatis inſtituitur partitio per *Enthymema*, idque duplici ratione: *Primò* ita, ut Propoſitio antecedens efficiat unam concionis partem, conſequens alteram. *v.g.* 1. Mundus conſilio regitur. Ergo 2. ab æterna illa mente, quam Deum vocamus. *Secundò* ita, ut quodlibet partitionis membrum conſtet Enthymemate. *v.g.* æternitas pœnarum inferni eſt 1. *certa*, igitur *credenda;* 2. *terribilis*, igitur metuenda; 3. *intolerabilis* igitur *vitanda.*

II. Jucunda & fortis eſt, quanquam rariùs obveniat diviſio *Dilemmate* concluſa. Sic Cic: mortem contemnendam probat; 1. *Si enim cum vita ſenſus reſtinguuntur, fugiendum non eſt carere ſenſu.* 2. *Si immortalis eſt animus, optandum meliore ſenſu vigere.*

III. Eleganter ducitur partitio per ſoritem: *v.g* 1. *voluptas egeſtatem,* 2. *egeſtas rapinas & omne ſcelus parit.*

A *Fi-*

A *Figuris* conciliatur elegantia partitionis potissimum istis:

I. *Repetitione*; ut de tempore: 1. *Tempus est æstimandum.* 2. *Tempus est rectè impendendum.* 3. *Tempus est reparandum.*

II. A *Conversione*; e. g. 1. *Facillimum est fingere sibi rectam & puram conscientiam.* 2. *Periculosissimum est talem fictam sequi conscientiam.*

III. A *Complexione*; v. g. Si dicatur de morte: 1. *Mors est certa, & infallibiliter venit.* 2. *Mors est prompta, & citò venit.* 3. *Mors est fallax, & ex improviso venit.*

IV. A *Conduplicatione* juncta *correctioni* v. g. 1. *Omnes possumus esse sancti.* 2. *imo verò sancti esse debemus.*

V. A *Traductione*; ut: sæpe quæ petimus non obtinemus; nam 1. *malo in statu petimus.* 2. *malas res petimus.* 3. *malè petimus.*

VI. A *Gradatione*; v. g. Etiam maximi peccatores non sunt contemnendi. 1. *fors enim nosmet ipsi tales sumus* 2. *Si non sumus, at forte fuimus.* 3. *si non fuimus, certè esse possumus.*

VII. Ab *Adjunctione* aut *Dissolutione*; exemp: 1mi: *Confessio Sacramentalis debet esse* 1. *præmeditata.* 2. *integra.* 3. *humilis.* Exempl. 2di: *Fides* 1. *omnia potest,* 2. *omnia obtinet.* 3. *de omnibus triumphat.*

VIII.

VIII. A *Commutatione:* ut: *Mundus nobis servire debet, non nos mundo.*

IX. Ab *Antithesi;* sive in singulis partitionum membris reperiatur oppositio, ut: *Labores nostri* 1. *sunt apparentes, & merces vera.* 2. *parvi, & merces magna.* 3. *momentanei, & merces aeterna.* Sive membra ipsa sibi opponantur, aut in subjecto; *e.g.* ex illis verbis: *Cecidit sors super Mathiam*, triplex sors deduci poss: t: 1. *sors optima Mathiae,* 2. *sors pessima Judae,* 3. *sors dubia nostri.* Aut in Praedicato; *v.g.* in illo Evangelio *Luc:* 18. *Duo homines ascenderunt*, considerari posset, 1. *magna Pharisaei superbia.* 2. *vera Publicani humilitas.* Aut in affectionibus; *v.g.* 1. *Detractio facile fit ab omnibus.* 2. *velociter inficit multos.* 2. *Difficillime reparatur à paucissimis.* Aut denique in subjecto simul & praedicato: *v.g.* 1. *Angeli boni nos ducunt ad bonum.* 2. *Angeli mali nos trahunt ad malum.*

X. Tandem ab *Incremento* maximus splendor, summaque venustas non in membra solùm Divisionis, sed in totum orationis corpus derivatur e. c. *Magnum fuit, quòd S. Catharina divitias spreverit: majus, quòd parentum amorem exuerit: maximum, quòd pro CHRISTO vitam ultro morti objecerit. Vel* si gratulando alicui honorem praecipuè in Hierarchia Ecclesia-

stica,

stica, dicas: *miram Dei Providentiam eluxisse in illo ad istam dignitatem elevando: multo mirabiliorem exstitisse ejus modestiam in acceptando: maximè admirabilem apparere ejus rationem in illa provincia administranda.* Quodsi tiro naturam allatarum hìc figurarum nondum perspectam habeat, illas (y) eodem ordine quibusdam prætermissis explicatas inveniet.

Q. Suntne præterea alii eleganter efferendæ partitionis modi?

℟. Sunt plures ex observatione moderni temporis Oratorum condiscendi. Quatuor indicabo.

I. Cùm singulis partitionum membris ipsa sacri textus verba, è quibus eruta est partitio, præponuntur aut subjiciuntur. Quod dupliciter fieri contingit. *Primò* quando aliæ cuivis membro voces applicantur. *e. g.* Die Pentecostes dum legitur: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* posset Concionator partiri sermonem sic: 1. *Ex occasione verbi* veniemus, *ostendam aliquot signa Spiritus Divinissimi ad corda nostra venientis.* 2. *ex occasione verborum:* mansionem faciemus, *dabo quædam indicia Spiritus Divinissimi in corde nostro manentis. Secundò* quando eadem cuivis membro verba adjiciuntur, sed diverso respectu. *v. g.* Dom: IV. post Epi-

(y) *Lib. IV. c. 3.*

Epiphan: diceres: 1. *Frustra ad* DEUM *clamat:* salva me pereo, *qui tentationibus sese ultro ingerit.* 2. *Utiliter ad* DEUM *clamat:* salva me pereo, *qui non voluntariè tentationes patitur.*

II. Cùm partitionis membra affirmationem unius cum alterius negatione continent. Ut: pœnitentia Magdalenæ fuit, 1. *prompta sine dilatione.* 2. *sincera sine fictione.* 3. *constans sine relapsu.*

III. Dum singula membra per *Interpretationem* explicantur. *v. g.* fides nostra 1. *debet esse simplex, id est sine curiositate.* 2. *firma, id est sine dubitatione.* 3. *integra, id est sine exceptione.*

IV. Denique conciliatur elegantia partitionis, cum *Adjectivis substantiva,* vel *substantivis Adjectiva* aptè addita per eundem constanter casum efferuntur. e. c. *Christianum decet esse in adversitate patientem, in prosperitate moderatum, in utraque fortuna æqualem. Vel* Ignis inferni 1. *est duratione æternus.* 2. *acerbitate immensus.* 3. *pœnarum varietate infinitus.* Nonnunquam *substantiva substantivis* adjunguntur. Ut: in CHRISTO patiente fuit 1. *excessus afflictionis.* 2. *excessus humilitatis.* 3. *excessus amoris.*

AR-

ARTICULUS IV.

De Subpartitione.

Q. Quid est Subpartitio?

R. Est ipsius partitionis suas in partes distributio. Sit partitio talis; CHRISTUS erit Judex formidandus. 1. *ob suam potentiam.* 2. *ob suam scientiam.* 3. *ob suam justitiam.* Subpartitio primæ partis est: quia ipsius potentiam. 1. *nemo potest effugere.* 2. *nec ab ea se eximere* 3. *nec inde appellare.* Secundæ partis: quia scientiam Dei nemo potest fallere. 1. *nec scelus reticendo.* 2. *nec illud negando.* 3. *nec excusando.* Tertiæ partis: quia Divina justitia. 1. *nec metu terretur.* 2. *nec precibus aut miseratione flectitur.* 3. *nec muneribus captatur.*

Q. Num in quibusvis Concionibus adhibenda subdivisio?

R. Minimè, sed ob varietatem artificii, ac vitandum formæ æquabilis fastidium plerumque videtur omittenda, maximè in sermonibus vulgaribus, ac brevibus in genere præsertim *Morali*, nisi argumenti natura eam ultro offerat. In concionibus *Panegyricis*, quæ prolixiùs tractantur, præcipuè in lucem emittendis subdivisio est usurpanda.

Q. Quæ-

℣. Quænam ſunt dotes, elegantiæ, & qui fontes ſacrarum ſubdiviſionum?

℟. Omnia hæc ſubdiviſiones ornant, quæ ipſis diviſionibus convenire oſtendimus, iiſdemque è fontibus depromuntur. Potiſſimum verò commendatur hìc brevitas, membrorumque paucitas, ne oratio juſto longior evadat, atque Auditoris memoriam defatiget.

ARTICULUS V.

De Inventione Argumentorum è Locis Concionatoriis.

℣. Quid & quot ſunt Loci Argumentorum, quos Concionatorios appellamus?

℟. Præter Locos Oratorios ſupra (z) explicatos, quos Rhetorum officina ſubminiſtrat, non deſunt alii, qui cùm *Theologici*, quòd à Theologis ad ſua dogmata ſtabilienda uſurpentur: tum *Concionatorii*; quòd ex iis, tanquam è ſedibus propriis, ſua Concionatores eruant argumenta, vocantur. Hos primus *Melchior Canus* doctiſſimus ex Ordine Prædicatorum, in *Canariis Inſulis* Epiſcopus, decem aſſignavit & explanavit, nempe: *Sacram Scripturam, Traditiones Apoſtolicas, Eccleſiæ auctoritatem, Concilia, Romanos Pontifices, SS. Patres, Doctores Scholaſticos, Rationem Naturalem, Philoſophiam, & humanam Hiſtoriam,*

(z) *c. 1.*

singulos suo ordine breviter perstringemus.

SACRA SRCIPTURA.

Q. Quid est Sacra Scriptura?

R. Est ea, quæ infallibiliter continet Verbum Dei, seu res à Deo revelatas.

Q. Quomodo dividitur?

R. In vetus & novum Testamentum. *Vetus* continet Libros sacros ante adventum CHRISTI, in Lege Mosaica à DEO inspiratos. *Novum* autem Libros sacros post Ascensionem CHRISTI in Lege Gratiæ scriptos ab Auctoribus Spiritu Divino afflatis. Utriusque Libri vocantur *Canonici*, id est in Canonem seu Catalogum Librorum sacrorum, ab Ecclesia relati.

Q. Quotuplex est sensus Sacræ Scripturæ?

R. *Quadruplex*: Literalis, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus. *Literalis* seu *Historicus* est ille, quo res gestæ verbis seu propriîs, seu translatîs in scriptura narrantur. *Allegoricus* est, qui procedit de re aliqua ad mysteria Fidei vel Ecclesiam militantem pertinente, quando scilicet quædam res per figuras aliarum rerum exprimuntur. *Tropologicus* seu *Moralis* est, qui ad hominum mores instituendos ordinatur. *Anagogicus*, qui procedit de re ad beatitudinem æternam, seu Ecclesiam triumphantem pertinente. Omnes

isti

isti sensus cum suis explicationibus hoc disticho continentur.

Litera gesta docet; quid credas Allegoria:
Moralis quid agas: quò tendas Anagogia.

Exemplum omnium quatuor sensuum habes in unica hac voce *Hierusalem*, quæ literaliter significat urbem Palestinæ sic dictam; Allegoricè, Ecclesiam militantem; Tropologicè, animam hominis; Anagogicè, Ecclesiam triumphantem. Istis quatuor sensibus addunt quidam Theologi *quintum*, quem *accommodatitium* vocant, quando nimirum verba scripturæ applicantur alteri, propter quandam analogiam cum eo, de quo à Sacro Auctore ex intentione Spiritus Divinissimi scripta sunt: sic illud quod CHRISTUS *Luc:* 10. de Maria sorore Marthæ dixit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: per accommodationem attribuitur Deiparæ VIRGINI. Sensus hic Prædicatoribus quidem perquam familiaris est, ad seriò tamen quidquam probandum non conducit, cùm nullo modo intentus fuerit à Spiritu Sancto.

Q. Quinam ex recensitis sensibus Concionatori debent esse familiariores?

R. Omnes quidem sunt probatissimi, & à SS. Patribus usurpati, cœterùm Ecclesiastæ, Allegoricô, & Anagogicô raró, accommodatiô aliquando, Morali sæpiùs, Li-

terali ſæpiſſimè utendum eſſe judicaverim; quòd tres poſteriores taxandis criminibus, virtutibuſque commendandis ſint aptiores.

Q. Quomodo ſubdividitur ſenſus Literalis?

R. In proprium & Metaphoricum. *Proprius* eſt naturalis vocum ſignificatio. *Metaphoricus* eſt translatio dictionis vel ſenſûs à propria ſignificatione ad aliam; ſic CHRISTUS dicitur, Agnus, Leo, &c.

Q. Quando Sacræ Scripturæ verba proprio & Literali ſenſu ſunt intelligenda?

R. *Quoties nihil continent, quod aut ad morum honeſtatem, aut ad fidei veritatem referri non poſſit.* Eſt Regula S. Aug: L. 3. de doctrina Chriſt: c. 10.

Quoties autem vel in ſacra Hiſtoria, vel in veteris legis præceptis, ſacrificiis, & cæremoniis aliquid invenitur, quod prima fronte vel otioſum, vel ſpecie tenus ſuperſtitioſum, vel parùm rationi & æquitati conſonum videatur, ibi myſticum ſenſum inquiramus. Eſt altera Regula Origenis.

Q. Quæ igitur tenenda via Evangelico Doctori, ut in tanta verborum ambiguitate, tanta ſcriptorum licentia, tot Tropis, tot dubiis de verò & genuino ſcripturæ ſenſu intento à SPIRITU S. ſibi conſtare poſſit?

R. I.

℞. I. Non debet esse contentus, si per Missale viderit Evangelium, nisi quoque Biblia in suo originali consulat, priora cum posterioribus maturè conferat; nam ut ait D. Hieron: (*a.*) *ex antecedentibus & consequentibus colligitur verus Scripturæ sensus.*

II. Neque id abundè sibi sufficere putet, quin alium quoque Evangelistam, si idem pertractat, vel quemcunque sacrarum literarum locum, ubi de re eadem agitur, relegat, Monet equidem S. Aug: (*b.*) *In unius Evangelistæ expositione videndum esse, quid alii Evangelistæ dicant, cùm ille locus exponitur: unus namque Evangelista, est alterius commentum; & eum luculenter exponit.* Sanè Evangelistæ mutuam sibi lucem afferunt, ut quod ab uno vel obscurè, vel figuratè expressum est, alter hoc ipsum clariùs, ac propriè interpretetur. Sic Joseph non semel Pater CHRISTI appellatur, at ne falleremur propria dictionis significatione, & naturalem Patrem intelligeremus, S. Lucas addidit: *ut putabatur.*

III. Dum Parabola aliqua exponenda occurrit, benè attendat Verbi Divini interpres, quemnam scopum præfixum habeat, & num suæ doctrinæ confirmandæ, aut illustrandæ commodè applicari queat.

IV. Ex Traditione vel interpretatione

(a) *In c. 25. Matth:* (b) *L. de adulterin. conjug. c. 11. & 12.*

S. Ecclesiæ, longo usu, ex Decretis Conciliorum, vel Summorum Pontificum, ex Sanctorum Patrum declarationibus, ex unanimi consensu Doctorum, & Interpretum sæpè verus scripturæ sensus innotescet.

V. Juvabunt Regulæ septem Ticonii cujusdam contra Donatistas scribentis relatæ à S. Aug: *Lib: 3. de doctr: Christ:* Conferet item lectio D. Thom: *1. p. q. 1. a. 10.* & *Quodli: 7. a. 15.* aliisque locis. Maximè autem profuturam ad hunc finem arbitror illarum linguarum peritiam, quibus autographos seu originales ac primævos indices conscriptos fuisse noscimus, Græcæ nimirum & Hebraicæ.

Q. Quàm firmum est in probando, quod è sacro codice eruitur, argumentum?

R. Longè firmissimum; Locus quippe hic apud sacrum Oratorem jure primas obtinet, utpote apud eum, cui plerumque sermo est de iis, quæ non sensuum aut rationis judiciô, sed revelationis nituntur imperiô, in similibus autem captivandus est intellectus in obsequium fidei, ubi cœteri sensus falluntur, sed auditu solo tutò creditur. *Canente Doctore Angelico.*

Q. Quid circa Scripturæ textus allegandos servandum?

R. 1. Non debent multi congeri ad eandem rem probandam. 2. Non sint nimis

mis prolixi. 3. Libri, capitis, versus, numeri, editionis citationes fastidiosæ sunt, nec ulla earum apparet necessitas, nisi fortè in Concionibus Polemicis ad majorem dictis fidem conciliandam, in reliquis verò sufficit, si Auctoris nomen hoc aut simili modo referatur: *inquit Matthæus, ait Lucas*, vel *teste Apostolo &c.* 4. Sententiis utendum potius probantibus, quàm affirmantibus. Dicuntur autem *probantes* illæ, quæ dicti simul probationem sive rationem amplificationi servituram continent. v. g. *estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Quæ nullam habent rationem adjectam, sed nudè aliquid credendum, faciendum, aut vitandum proponunt, vocantur affirmantes. v. g. *Verbum Caro factum est. Pœnitentiam agite. &c.*

Q. Quid sint, quomodo fiant, & num usurpandi conceptus (ut ajunt) Scripturistici?

℟. Sunt reflexiones ac doctrinæ ex verbis scripturæ, aut diversis è locis inter se collatis, vel ex variis Interpretum lectionibus erutæ. Formantur hujusmodi conceptus vel singula verba in sensu literali per adjuncta *quis, quid, ubi, &c.* expendendo: vel unum verbum præcipuum, aut sententiam ex præcedentium & subsequentium textuum sensu examinando: vel sensum literalem cum Mystico, ut Allegorico,

rico, Anagogico, Tropologico combinando: vel variantes lectiones conciliando: aut denique similitudines, Parabolas, exempla Biblica exponendo. His tamen parcè & sobriè est utendum.

TRADITIONES APOSTOLICÆ.

Q. Quid est Traditio?

R. Traditio *latè sumpta* est omnis doctrina, ab uno alteri sive scripto, sive voce communicata. *Strictè accepta* est doctrina ad Religionem pertinens sola voce ab aliquo tradita, sive id factum sit auctoritate Dei revelantis, & hæc vocatur *Traditio Divina*; sive auctoritate hominis constituentis, & hæc vocatur *Traditio humana*.

Q. Quotuplices sunt Traditiones Divinæ?

R. Ratione diversorum statuum dividuntur in Traditiones Legis naturæ, Legis Mosaicæ, & Legis Evangelicæ; quarum postremæ appellantur etiam Traditiones Apostolicæ.

Q. Quantam in Ecclesia auctoritatem obtinent Traditiones Divinæ?

R. Eas æqualem Scripturæ auctoritatem habere constat ex verbis Apostoli 2. Thessal: 2. *Itaque Fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per*

ve per epiſtolam noſtram. Ubi clarè diſtinguitur duplex doctrina à DEO revelata, una viva voce ſine ſcripto communicata, altera ſcripta.

ECCLESIÆ AUCTORITAS.

Q. Quid eſt Eccleſia?

℟. Nomen Eccleſiæ multifariàm in ſcriptura accipitur, à nobis autem hìc uſurpatur pro Corpore primorum Paſtorum ſeu Epiſcoporum, cujus Caput eſt Romanus Pontifex, qualiter etiam ſumitur. *Matth: 18. Dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Q. An firmum robur probandæ ſacri Oratoris intentioni ab Eccleſiæ deciſione accedet?

℟. Firmiſſimum: Eccleſia namque teſte Apoſtolo (*c.*) eſt *columna & firmamentum veritatis.* Cui S. Auguſtinus tantum tribuit, ut palàm profiteri non dubitarit, (*d*) *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

CONCILIA.

Q. Quid eſt Concilium?

℟. Concilium Græcè Synodus congregationem Epiſcoporum propriè ſignificat.

Q. Num

(c.) 1. Timot. 3. (d.) *L. contra epiſ. Fundamenti c. 6.*

Q. Num frequens est Ecclesiastæ à Conciliorum auctoritate probatio?

R. Quoniam Concilia ad dirimendas potiùs in fide controversias, & hæreses damnandas, quàm ad mores instituendos ordinantur, proinde frequentior est illorū usus apud Scholasticos, quam apud Declamatores Evangelicos.

ROMANI PONTIFICES.

Q. Quæ quantaque est Romani Pontificis auctoritas?

R. Est Caput Ecclesiæ, & omnium Christianorum Pater ac Doctor, cujus Decreta in materia fidei & morum sunt infallibilia.

Q. Nūm se aliquando Concionatori offert occasio Decreta Papæ allegandi?

R. Contingit non rarò Bullas, Constitutiones, Epistolas Decretales, &c. quorum pleraque Juri Canonico inserta sunt, adducere in confirmationem alicujus doctrinæ ad vitam & mores pertinentis.

SS. PATRES.

Q. Quinam in Catalogo SS. Patrum reponuntur?

R. Viri omnes eruditionis notâ vitæque sanctimoniâ conspicui, nec non de literis ac Ecclesia optimè meriti, quamvis plerique in numerum Sanctorum non sint re-

lati,

lati. Videlicet omnes veteres Ecclesiastici Scriptores à temporibus Apostolorum ad medium XII. sæculum, quorum agmen claudit Clarevallensis Abbas *Bernardus*, quos (ait (e.) Annatus) *ob eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem, ut tales agnovit, sive tacitè, vel expressè declaravit Ecclesia.*

Q. Quid conferunt Ecclesiastæ Patrum monumenta?

R. Quadruplex ei bonum afferunt: vim ad confirmandum propositum ipsorummet sententiis, lumen ad explicandos obscuriores Scripturarum Locos, gestorum in primæva Ecclesia notitiam, & dogmatum ab illis stabilitorum certitudinem. A non nullis præsertim Græcis styli quoque elegantiam mutuari poterit, ut à D. *Basilio, Chrysostomo, Cypriano, &c.*

DOCTORES SCHOLASTICI.

Q. Qui nominantur Doctores Scholastici?

R. Horum nomine universæ Theologiæ, *Scholasticæ* scilicet, *Dogmaticæ*, *Moralis*, *Polemicæ*, & *Asceticæ* Magistri intelliguntur. Inter primos Princeps est *S. Thomas Aquinas*, cujus vestigiis pressius institere M. *Adamus Opatovius* Canonicus Cracoviensis, & *Simon Stanislaus Makowski* in Univer-

(e.) *In apparatu L. 4. de SS. PP. Art: 2.*

niversitate Cracoviensi Sacræ Theologiæ Doctores & Professores. Varii præterea Auctores diversa hæc Theologiæ genera explanârunt, qui plures sunt, quàm ut hìc ad calculum revocari valeant.

RATIO NATURALIS.

℈. Quam dicis rationem naturalem?

℞. Eam, quæ ex rei probandæ visceribus petitur, adeoque ad Locos intrinsecos potiùs referenda, qui sunt ipsius eruendæ fontes. Hîc solum mentionem illius facio, tum, ut nullum eorum fontium prætercam, quos Melchior Canus enumerat; tum ne argumentum id genus leve, aut nullum pondus in sacris Orationibus habere quisquam existimet.

PHILOSOPHIA.

℈. Quid confert sacro Oratori profana isthæc scientia?

℞. Suggerit ipsi generalissima principia tam *Physica*, quàm *Moralia* ad veritatem demonstrandam, vitamque probè instituendam profutura.

℈. Quinam Philosophorum nomine veniunt?

℞. Illi Viri, qui sive lumine fidei fuerint illustrati, sive non, tam egregiè scientias excoluêre, ut plerique naturali ratione unum

num

num ſupremum univerſi Rectorem agnoverint, & vitam naturæ rationali congruentem cùm ipſi duxerint, tum in aliis vitia acriter perſtrinxerint, multaque præclara de moribus inſtituendis literis conſignârint. Quales ſunt: Plato, Ariſtoteles, Tullius, Seneca, Plutarchus, &c.

Q. An non verendum eſt Chriſtiano Doctori uti Ethnicis Philoſophis?

℟. Minimè; nam *illa, quæ peſſimi etiam Philoſophi vera, & fidei noſtræ accommodata dixêre, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam injuſtis Poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda.* ait S. Aug: *L. 2. de doctr: Chriſtian: c. 40.*

Q. Polletne aliquo robore ad convincendos Catholicos argumentum à Gentilium teſtimoniis?

℟. Imò verò maximam vim animis eorum afferre debet. Erubeſcendum equidem eſt millenis Chriſtianis, ſi ſuos depravatos mores cum illorum honeſtate; diſſolutam vitam,cum illorum auſteritate; mundanârum vanitatum amorem cum illorum auri calcatu, & in flumina projectione; ſocordiam cum diligentia; impatientiam cum adverſorum tolerantia; ambitum cum honorum contemptu (ſed ne longior ſim, ubi infinitum eſſe oporteret) verbo complectar, ſua vitia cum eorum (cur enim dicere verear) virtutibus comparârint.

HUMA-

HUMANA HISTORIA.

Q. Cur ad vocem *Historia* additur *Humana?*

R. Propter differentiam ab Historia Biblica, quæ in sacro codice divinitùs revelata præclarè, vel perperam gesta commemorat.

Q. Quotuplex est humana Historia?

R. Duplex: *Sacra* sive *Ecclesiastica* notitiam rerum ad Ecclesiam religionemque pertinentium continens: & *profana*, quæ res in statu Politico belli pacisque tempore gestas memoriæ prodit.

Q. Quid circa usum Historiæ notandum?

R. 1. Biblica sæpius, Ecclesiastica rariùs, profana rarissimè aut nunquam recentiores utuntur Oratores. Procul autem exulant, nescio, quæ Legendæ, Chronica, Specula exemplorum, quæ ignorantissimo ævo ab incertis, vel saltem obscuris auctoribus promiscuè congesta dedecent sacri pulpiti majestatem. 2. Quo major Historiæ fides habeatur, Scriptoris nomen est apponendum. Maximam verò auctoritatem obtinet à primorum Scriptoribus sæculorum literis consignata, vel si exempla ab Ecclesiæ Patribus sint relata. Vitæ item *Sanctorum*, præcipuè à synchronis probatisque Auctoribus conscriptæ omni suspicionis nota carent.

CA-

CAPUT III.

De Inventione Propria Ecclesiastæ.

INventionem propriam vocant, quæ materiam singulis Causarum generibus adaptat. Hæc verò causarum genera tria vulgo numerant Rhetores: *Demonstrativum*, *Deliberativum*, & *Judiciale*. Quorum postremum maximo fuit Civilibus Oratoribus usui, utpote qui hoc fine benè dicendi artem excogitârunt, ut civiles causas in judicio tractarent. Ecclesiasticæ autem Magistri eloquentiæ illud penitus eliminatum eunt, alii duobus prioribus contenti, alii Judiciali *Instructivum* sufficientes. Nos posteriorum prememus vestigia. Omnis equidem materia in Cathedra annuntianda, est Evangelium JESU Christi, quod dividitur *in rectè credere & operari.* Ut autem homines rectè credant, debent instrui in his, quæ ad fidem pertinent: & ut benè operentur, necesse est, ut illis proponantur exempla eorum, qui singularia virtutum dedêre specimina, aut reprehendantur ipsorum vitia, quibus sunt dediti. Ex his itaque triplex consurgit sacræ orationis genus, nempe: *Didacticum* seu *Instructivum*, in quo Ecclesiastes docet: *Panegyricum*

ricum, in quo laudat: & *Morale*, in quo hominum mores taxat, eos ad virtutis studium, vitiorumque fugam informando. De singulis his generibus speciatim tres sequentes procedent Articuli.

ARTICULUS I.

De Inventione propria Generis Didactici.

Q. Multumnè refert Ecclesiastæ docere Populum dogmata fidei Catholicæ?

℟. Hoc inter primos ipsius conatus esse debet, præcipiente CHRISTO (f) *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.*

Q. Quod est Objectum generis Didactici?

℟. Mysteria nostræ Religionis, qualia sunt: *Sanctissimæ TRINITATIS, Incarnationis, Sanctorum Sacramentorum*, præsertim *Eucharistiæ*, aliorumque Articulorum fidei. Hæc itaque Evangelicæ veritatis interpres ad mentem Divinæ Scripturæ, secundum decisionem Conciliorum, & genuinum sensum SS. Patrum, clarè, distinctè & breviter ad captum plebeculæ explicabit.

Q. Quô pactô id assequi poterit?

℟. Ordine; qui miram rebus in omnibus suavitatem ac perspicuitatem parit.

(f.) *Matth:* 28.

Q. Quis

Q. Quis in hoc dictionis genere ordo tenendus?

R. 1. Ostendendum quid res sit, seu quæ ejus natura. 2. quas habeat partes, & quot species. 3. qualis sit, nimirum quas habeat proprietates & affectiones. 4. quæ causæ & effectus. 5. quæ ipsi affinia. 6. quæ contraria. Quanquam ordo hic non semper plenè servandus sit, verùm tribus ad summum quæstionibus Auditori maximè utilibus omnia comprehendenda.

Q. Quænam in hoc Genere sacro Oratori servanda, aut vitanda sunt?

R. 1. Meminerit se in Cathedra Ecclesiastica non agere *Scholasticum*, cujus munus est, solùm docere & erudire intellectum: sed Ministrum Verbi Dei, cui incumbit etiam voluntates ad recti honestique amorem, ac pietatis exercitium permovere. 2. Ea dogmata explicanda non assumantur, quorum cognitio curiosos potiùs reddit Auditores, quàm pios. 3. Consulendi sunt Theologi eam materiam, quæ tractanda proponitur, discutientes, qui tamen non omnino sunt nominandi, nisi Ecclesiastes illorum auctoritate suam veritatem stabilire velit. 4. Nihil immisceatur, quod improborum errori favere, falsam sententiam confirmare, aut sceleribus patrocinari videatur. 5. Quæ contra suum assertum objici possent, ex iis-

dem, quibus probamus, Locis refutentur. 6. Expositi dogmatis ostendatur verus usus tam publicus, universam Ecclesiam respiciens, quàm privatus, ad singulorum conscientias pertinens; sola quippe cognitio esset otiosa.

ARTICULUS II.

De Inventione propria Generis Panegyrici.

Q. Quid est Genus Panegyricum?

R. Est illud, quod laude digna proponit ac celebrat, & in hoc convenit cum Rhetorum Genere Demonstrativo sive Exornativo: differt tamen ab eodem, quia excludit alteram illius partem nempe vituperium malorum, quæ à sacro Oratore in Genere Morali reprehenduntur.

Q. Quod est Objectum seu materia Generis Panegyrici.

R. Cùm solum & omne bonum laudem mereatur, DEUS autem sit summum bonum, de qua bonitate creaturæ intellectuales eo magis participant, quò ad illum propius per virtutes accedunt, materia istius generis *virtus* statuitur, non tam in se spectata, quam potius in subjecto sive Persona, quam afficit. Tam ergo varia est laudis materia, quàm multiplices sunt Personæ laude dignæ. Ecclesiastes in hoc gene-

genere solemnitates Unius & Trini DEI, CHRISTI Domini, Sanctissimæ & Immaculatæ Virginis MARIÆ, ac Festa Sanctorum Angelorum, & omnium Cœlitum, quin Reges & Principes, aliasque Personas honore & dignitate præsertim in Hierarchia Ecclesiastica conspicuas pia vita functas panegyri habet celebrandas.

Q. Num suadet aliqua necessitas, aut Ecclesiæ utilitas Panegyricam ab Evangelico Concionatore orationem instituendam?

R. Si gentiles Poëtæ suos Deos Deasque etiam turpissimis horrendisque criminibus obnoxios non adorare modo, sed etiam deprædicare non erubuerint: eccur Ecclesia Sancta Catholica non præsentet filiis ac Discipulis suis DEUM puritatis, JESUM innocentem, MATREM Divinam VIRGINEM Immaculatam, Sanctos Apostolos, Martyres, Confessores, Viduas, & Virgines in una sanctitate consummata, quo fideles & convincantur de facili virtutum praxi, & ad illarum exercitium eorum exemplis incitentur. Atque hæc est potissima ratio, quòd SS. Ecclesiæ Patres: Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Nazianzenus, &c. integras in hoc genere Orationes ad populum dixerint. Nec deest istius rei exemplum ac fundamentum in Divinis Scripturis.

ris. Clarè equidem S. Petrus (g.) laudat, & imitandum proponit CHRISTUM inquiens: *CHRISTUS passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

℞. An DEUS possit laudari & quomodo?

℞. Ex S. Aug: (h.) *Cùm laudatur DEUS sive de se ipso, sive de operibus suis, quanta facies pulchræ ac splendidæ dictionis oboritur ei, qui potest, quantum potest laudare, quem nemo convenienter laudat, nemo quomodocunque non laudat.* Laudandus est igitur DEUS, quomodo à nobis laudari potest, & quidem 1. *ab essentia sua*; quod sit à se ipso, sibi sufficientissimus, à nemine dependens, sed à quo pendent omnia in esse, fieri & conservari. 2. *ab Adjunctis*; si prædicetur ejus in Majestate æternitas, in æternitate felicitas. 3. ab *Effectis*; si extollatur Dei in creando sapientia, in gubernando prudentia, in puniendo justitia, in parcendo clementia, in protegendis bonis gratia, in frangendis improbis fortitudo, in deprimendis superbis & exaltandis humilibus providentia, in sublevandis hominum miseriis perpetua bonitas, cœteraque id genus Divina attributa.

Q. Ec-

(g.) *Epist: 1. c. 2.* (h.) *L. 4. de doctr: Christiana.*

Q. Ecqua in Angelis laudum materies?

R. 1. Quia omni materia carent, cùm sint puri spiritus. 2. quòd adumbratam quandam Divinæ Sapientiæ similitudinem in intellectu referant, quâ intima naturæ secreta perscrutantur, verumque à falso discernunt. 3. quòd applicando activa passivis mira efficere valeant. 4. quód voluntate & affectu semper in bonum tendant. 5. quòd præstantissimo suo officio exactè fungantur, DEO ministrando, homines custodiendo, &c.

Q. Unde hominum petenda encomia?

R. Ab Adjunctis internis & externis.

Q. Quænam sunt adjuncta interna seu animi?

R. Sunt virtutes tam *intellectuales*: ut prudentia, sapientia &c. quàm *morales* ut Religio in DEUM, pietas in Parentes, gratitudo Professoribus, &c.

Q. Quænam sunt adjuncta externa?

R. Bona *fortunæ*, ut opes, amici, &c. & Bona *corporis*, ut forma, valetudo, &c.

Q. Quomodo unusquisque ab hisce bonis laudandus?

R. Qui illa habuerit, laudabitur, quòd iis benè usus fuerit: si non habuerit, quòd sapienter caruerit: si amiserit, quòd moderatè tulerit.

Q. Quot sunt tempora, secundum quæ laus hominum distinguitur?

 R. Tria

℞. Tria: 1mum. quòd vitam antecessit; ubi spectantur: Patria, Genus, Parentes, prodigia, si quæ præcessêre. 2dum. tempus vitæ; ubi in *pueritia* spectatur indoles, pulchritudo, educatio; in *adolescentia* virtutum bonarumque artium studia; in *virili ætate*: vitæ genus, dignitas, facta dictaque præclarè; in *senectute*: prudentia, religio, consilium, constantia, &c. 3tium. quod vitam consequitur; ubi attenditur genus, causa, & tempus mortis: pompa funebris, honores mortuo exhibiti, luctus ac desiderium mortui, damna Ecclesiæ, Reipublicæ, &c. inde emergentia, &c.

℣. Utique hæc, quæ persequimur, magis ad profanos Rhetores pertinere videntur?

℞. Etiam Evangelico Concionatori non modico sunt usui, tum in Sanctorum laudibus celebrandis, tum vel maximè in sermonibus funebribus hinc à primitiva Ecclesia haberi solitis: in scriptis namque D. Greg. Nazianz. invenimus conciones pro obsequiis Basilii Magni, & D. Athanasii, quas tamen spiritualiter tractare expedit.

℣. Quid in hoc genere Ecclesiastæ servandum, aut cavendum est?

℞. 1. Dum sermonem de aliquo Sanctorum instituit, non sit solicitus, ut exactè totam ipsius vitam enarret, procedendo à nati-

à nativitate usque ad mortem, sed aliquam vel aliquot præstantissimas ejus virtutes & veluti characteristicas in certum ordinem redactas commendet, ad quarum dein imitationem Auditorem moveat. 2. Nec Sanctum unum alteri, aut omnibus absque solida ratione per solos conceptus, atque detortas scripturas anteferat, non enim hoc tanquam certum asserere potest, quod iste majorem in cœlis habeat gloriam, quàm ille aut cæteri, nisi de aliquo sit revelatum. 3. In Virginis Beatissimæ MARIÆ encomiis eò progredi fas non est, ut DEO quodammodo anteponi videatur. 4. Tota concio Evangelica ipsis Sancti laudibus implenda non est, sed pauca vera, authenticè probata, ad populi ædificationem conducentia exponenda, ut ad similia tentanda stimuletur. Multò autem intolerabilius est, si non jam Divorm encomiis celebrandis, ast illius Ordinis, Religionis, aut Prælati Ecclesiæ, Promotorumve Confraternitatis, ubi solemnia peraguntur, sublimibus recensendis elogiis magnam sermonis & temporis partem sacer insumat Orator, sicque ex Cathedra Ecclesiastica profana rostra efficiat, quod Neo-prædicatoribus præcipuè familiare vitium est. Quanquam id non omnino reprehendendum esset,

esset, dummodo parcè, occultè, non de industria, sed quasi invito Oratore maximè circa finem, dum famelicus grex jam spirituali pabulo refectus fuerit, aliquid illabatur. 5. Elogiis recens Defunctorum sermones funebres non referciantur integri, ast potiùs de recordatione mortis, de sæculi contemptu, de Beatorum gaudiis &c. discurrendum, tandem circa sermonis exitum verbum pro Defuncto addendum, illud supra dictis applicando. *v. g.* quod probè vitæ suæ cursum consummaverit, piè igitur credendum, quòd gaudia meruerit sempiterna. Hinc *curiosiores stemmatum, gentilitiorum, ac dignitatum avitarum disquisitiones, nisi parcè, sobriè, & appositè*, adhibendas censet *Hochenleutner* (*i.*) quod & auctoritate Pauli (*k*) confirmat: *Stultas quæstiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, sunt enim inutiles & vanæ.* 6. Miracula à Sanctis patrata quidam commemoranda negant, alii communiùs affirmant, quia eorum narratione immensa Dei bonitas, & peculiaris in servos suos charitas, paterna cura & providentia propalatur, vita Auditorum optimè instruitur, spes depressorum erigitur, devotio ad Divos Patronos, atque Sanctarum Reli-

(i.) *Par: 2. Resl: 7.* (k.) *Ad Tit: c. 3.*

Reliquiarum cultus inflammatur. Advertendum tamen est, ne miracula ineptè congerantur, fingantur, nondum examinata pro certis promulgentur, aut quædam beneficia pro miraculis declarentur. Multò magis cavendum, ne historiæ Sanctorum non receptæ, nec approbatæ, quin forte reprobatæ, rumores incerto authore sparsi, scripta apocrypha, aut quævis aniles fabulæ intrudantur, quod & Apostolus monet. (*l*) 7. Siquidem sacer Panegyrista de virtutibus & miraculis Sanctorum dicere debet, quæ illi aliquando parum nota vel omnino ignota sunt, poterit tum formari Propositio cum Divisione super virtutem cognitam, & ita tractari moraliter, ut saltem ad finem cujuslibet partis laus sancti ex ea virtute redeat.

Q. Quando utimur Concione Panegyrica?

R. In Festis Sanctorum solemnioribus, ut Patroni Regionis, Urbis, Ecclesiæ; in Festis Fundatorum Religiosorum Ordinum, in apotheosi recens in album Sanctorum relatorum. Aliis festis etiam Apostolorum fructuosiùs aliqua doctrina moralis exemplis è vita sancti annexis tractatur. Quinimo ipsa panegyris doctrinam fructuosam moralem contineat; hæc est intentio

(l.) *1. ad Timot. 4.*

tentio Ecclesiæ, hoc Sanctorum Patrum monumenta demonstrant.

ARTICULUS III.
De Inventione propria Generis Moralis.

Q. Quis est finis Generis Moralis?

R. Quemadmodum Generis Instructivi finis est, ut homo rectè credat & solidè erudiatur in Mysteriis fidei: ita Generis Moralis finis est, ut homo juxta eandem fidem bene operetur, exercendo virtutes, & vitia fugiendo.

R. Quid ad hunc finem consequendum ex sua parte conferet Prædicator?

R. Multum eò contribuet, si instituat Concionem penitus practicam, & nullo modo speculativam. Quare hoc genus excludit sublimes disputationes Scholasticorum, & altos conceptus scripturistarum.

Q. Quod est objectum Generis Moralis?

R. Virtus & vitium.

Q. Quæ sunt *motiva* amplectendæ virtutis in genere?

R. Ea fusè tradit *Ludovicus* (m) *Granatensis*, aliquot compendiosè proferam.

I. *Bona inæstimabilia*, quæ præter beatitudinem æternam, etiam in præsenti vita virtutis amatoribus promittuntur, ut patet *Marci 10.*

II.

(m,) *Part. 2. Ducis peccatorum.*

II. *Providentia singularis*, qua DEUS suos Amatores custodit: (*n.*) *Me autem propter innocentiam suscepisti, & conformasti me in conspectu tuo semper.*

III. *Gratia Spiritus Sancti*, quæ datur Virtutum studiosis.

IV. *Speciale Lumen, & quædam sapientia*, quam DEUS justis largiri solet: (*o.*) *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

V. *Tranquillitas & gaudium bonæ conscientiæ:* quo nihil jucundius. (*p.*) *Secura mens quasi juge convivium, quid enim suavius?*

VI. *Fiducia & spes in misericordia Divina*; Justi enim vivunt: (*q.*) *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.*

VII. *Effectus Orationum à DEO exauditarum*; juxta illud: (*r.*) *Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum.*

℈. Qui stimuli peccata generatim fugiendi?

℟. 1. Eorum ingens malitia, turpitudo, maxima deformitas, gravissimaque à recta ratione & à primo principio, ac fine ultimo hominis aberratio. 2. quia grandem injuriam DEO inferunt. 3. Justa nemesi puniuntur. Reliqua supplenda sunt ex supra dictis. (*ſ.*)

℈. Suf-

(n.) *Psal:* 40. (o.) *Psal:* 50. (p.) *Prov.* 15. (q.) *Rom:* 12. (r.) *Psal.* 33. (ſ.) L. 1. c. 3. a. 2.

Q. Sufficitne virtutem in communi commendare, & scelera damnare?

R. Minimè, sed ad particularia descendendum est, suadendo v.g. humilitatem & reprehendendo superbiam; atque in hoc potior generis istius pars consistit. Imò in ipsis speciatim virtutibus demonstranda est aliqua peculiaris præstantia, sicut in criminibus turpitudo vel enormitas, per quam aliis præferuntur.

Q. Quid in tractatione Moralis observandum?

R. 1. Ubi Prædicator ad alicujus virtutis exercitium Auditorem fuerit adhortatus, vel ab aliquo vitio dehortatus, peroratâ causâ ostendat modum, quo vel ea virtutis actio exequenda sit, vel facinus evitandum. v. g. Qui ad eleemosynæ studium toto Orationis tractu stimulaverit, docere circa finem debet, quonam modo utiliter eleemosyna datur, nempe quòd danda sit prompto & alacri animo; *hilarem* (t.) *namque datorem diligit DEUS*: quòd debeat esse occulta, ut *nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua*; ut procedat ex effectu charitatis, non propter vanam gloriam, ut detur ex bonis propriis, non alienis: *Honora* (u.) *Dominum de tua substantia.* Concinnè S. Augustinus (v.) *Dicit*

(t.) *S. Anselmus.* (u.) *Prov: 3.* (v.) *Serm. 178. aliàs 19.*

Dicit tibi DEUS: jussi ut dares, sed non de alieno. Si habes da de tuo, si non habes quod des de tuo, melius nulli dabis, quàm alteros spoliabis. 2. Alia correptio fit acerbior, alia lenior, partim pro genere criminum, partim pro conditione hominum. 3. Singulari judicio opus est, ut increpentur & corrigantur Magistratus, aut Superiores. 4. Evitentur ea, quæ aliquem in particulari, vel communitatem jure lædant, vel alicujus conditionis hominum contemptum præseferant. *v. g.* increpando luxum, ne dicas: Ea est rerum vicissitudo, ut jam sutoris conjunx tam pretiosis ornata monilibus atque vestibus incedat, quasi cujusdam Magnatis uxor; hoc enim ignominiosum esset, & detraheret honori status in particulari: at potiùs dicendum, quòd opificis, vel artificis conjunx &c. ita Concionatorem informat R. P. *Didacus Stella*, (*x.*) 5. De vitio luxuriæ tractandum in pulpito esse probant nonnullorum exempla Patrum. S. Aug: (*y.*) *Confundor*, inquit, *Ego Episcopus talia loqui, confundor & talia enarrare: sed & si tacuero, mors mihi est, & si hoc prædicavero, non effugiam linguas vestras.* Tandem ulterius ait: *Audacter igitur prædicabo, quia & vos publicè operari non erubescitis.* Emendate

(x.) C. 37. (y.) *Serm.* 47. *ad Fratr: in Erem.*

date igitur vitam, & emendabo verba. S. Chryſoſtomus (z.) tam clarè de vitiis carnis diſſeruerat, ut ad extremum excuſandam ſermonis materiam judicaverit. Nihilominus idem S. Doctor, (a.) inquit: *Melius eſt bene ignorare, quàm turpiter ſcire.* Media igitur ſemita tenenda eſt, nec penitus id argumenti genus à templis ſubmovendum, nec de eodem & ſæpe, & fuſè, ſed parcè & ſobriè diſcurrendum. 6. Non in hoc ſolum, aſt in reliquis etiam dictionis generibus nonnulli abutentes officio Oratoris, quòd debeat delectare, trivialibus proverbiis honeſtorum aures offendentibus, plerumque ſcandalum parientibus, dicteriis, facetiis, populum ad riſum movent, quo quid inſanius? *Ille eſt Doctor Eccleſiaſticus,* inquit Hieronymus (b.) *qui lacrymas non riſum movet.* Et ad Nepot: *Docente te in Eccleſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lacrymæ Auditorum laudes tuæ ſint.* 7. Neque proprii partus ingenii plus, quàm par eſt, diligatur, parentum more, qui liberos ſuos quamvis deformes, pulcherrimos, ſuoque amore digniſſimos judicant: neque nihil ſuum placeat, nam utrumque vitium eſt. 8. Nihil proferatur quod ingenii oſtentationem, aut vanæ gloriæ ſtudium: vel contra

(z.) *Hom.* 37. *in* 1. *Cor.* (a.) *Hom.* 5. *de fato.*
(b.) *In Iſai. c.* 3.

contra nimiam sui tenuitatem & abjectionem indicet. *v.g.* ne ex Cathedra pronuntiet sacer Orator, quòd serò nimis, ante aliquot nempe dies hæc dicendi Provincia sit sibi demandata, quòd nemo unquam tam egregium quidpiam excogitavit, quàm hoc, quod illi in mentem venit; aut è contra, quòd literis non sit delibutus. &c. 9. Curet Evangelicus præco, ut de prædicationibus suis cum Doctore Gentium (c.) dicere valeat: *Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à DEO, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed DEO, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ, DEUS testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* 10. Tandem si Prædicator his omnibus servatis post justas, ac prudentes objurgationes incurrerit quorundam hominum offensionem atque odium, non propterea pusilli sit animi, & consternatus cesset ab opere; quin magis, magisque eluctetur, ut Apostolico suo officio fideliter fungatur.

LIBER

(c.) 1. *Thess.* 2.

LIBER III.

De Dispositione Oratoria variisque concionandi modis.

Liber hìc duobus constabit Capitibus: quorum primum de Dispositione Oratoria, secundum de variis concionandi modis tractabit.

CAPUT I.

De Dispositione Oratoria.

QUoniam Dispositio Oratoria triplex à Rhetoribus statuitur, nempe: Partium Orationis, Argumentorum, & Argumentationum: id circo primò seorsim de quaelibet tribus sequentibus agetur Articulis, deinde quomodo totum Orationis corpus sit adornandum, in Articulo IV. explicabitur.

ARTICULUS I.

De Dispositione Partium Orationis.

Q. Quid est Dispositio Oratoria?

R. Definitur à Cic: rerum inventarum in ordinem distributio.

Q. Quid est Dispositio Partium Orationis?

R. Est, quae docet, quae pars Orationis quô locô sit ponenda.

Q. Quo-

Q. Quotuplex est ista Dispositio?

R. *Duplex:* Naturæ & Artis. Illa docet, ut 1. ponatur Exordium, 2. Narratio, 3. Propositio, 4. Confirmatio, 5. Confutatio, 6. Epilogus: hæc juxta prudentis judicium ad rationem circumstantiarum accommodatur, qua exigente aliquando ordo præfatarum Orationis partium immutatur, aliquando una alterave omittitur; non enim omnes ita sunt essentiales, sine quibus nunquàm possit esse Oratio, sed solùm Propositio, Confirmatio, & juxta aliquos Epilogus. Nos tamen singulas examinabimus.

EXORDIUM.

Q. Quid est Exordium?

R. Est prima pars Orationis Rhetoricæ præparans animos Auditoris ad benevolè attenteque audiendum.

Q. Quotuplex est Exordium?

R. Triplex statuit *Cic:* post illum *Quinctil:* videlicet: Legitimum, abruptum, & Insinuationem.

Legitimum est, in quo claris & apertis rationibûs benevolentia, attentio, & docilitas paratur.

Abruptum est, in quo Orator non præparat Auditorum animos, sed in aliquem subi-

fubitum, ac vehementem affectum prorumpit.

Infinuatio eft, qua callidè & latenter infinuamus nos in benevolentiam Auditorum.

Q. Quis ufus horum Exordiorum?

R. *Legitimò* utimur in caufis honeftis, decoris, & utilibus; nemo quippe eft, qui non facile honeftati faveat, aut utilitate ducatur. *Abrupto* in rebus indignis, triftibus aut lætis. *Infinuatione* in caufa turpi, humili, admirabili, aut dubia; vel etiam, quando Auditor eft fatigatus, aut adverfarii perfuafione præventus. Unde patet Infinuationis nullum effe Concionatori Evangelico ufum, Exordii abrupti rariffimum, Legitimi frequentiffimum. Quanquam & hoc omitti poffet, agitur enim ibi de æterna felicitate, quæ ultro fibi conciliat attentionem, docilitatem & benevolentiam præfertim inter Chriftianos. Quod tunc vel maxime valet, cùm vel Orator eft magna auctoritate præditus: ut Antiftes, Prælatus; vel Auditor doctus, vel materiæ gravitas Exordio non eget, vel temporis brevitas illud non admittit.

Q. Quod eft artificium Exordii?

R. Exordium ductum ex locis intrinfecis præcipuè à Divifione, ab Adjunctis &c. optimè difponitur in duo Enthymemata

aut

aut Syllogismum. Potest etiam sumi Exordium ab Axiomate Philosophico, Theologico, sententia, symbolo &c. Reliquæ exordiendi rationes ex sequenti capite patescent.

Q. Quæ sunt Exordiorum virtutes?

R. Istæ: 1. ut sit *accuratum* id est diligenter elaboratum sententiis verbisque illustribus instructum. 2. ut sit ex visceribus rei, de qua agitur, depromptum. 3. ut sit connexum cum sequentibus, habeatque semina probationum & amplificationum adferendarum. 4. ut sit mediocre, nec nimis longum; ne quasi gygantеum caput pusillo corpori inditum: nec nimis breve; ne impositus colosso globulus esse videatur. 5. ut sit clarum & apertum. 6. ut fluat suaviter, numerosè ac placidè sine furore & vehementia.

Q. Quæ sunt vitia Exordiorum?

R. Ista: 1. si sit commune, quod pluribus causis convenire, aut in contrariam causæ partem detorqueri, absque eo, quòd aliquid mutetur, possit; nam si mutetur aliquid, erit secundum vitium, quòd sit commutabile. 3. si sit longum, id est verbis & sententiis superfluis refertum. 4. si sit separatum, quod cum quæstione non cohæret. 5. si sit translatum, aliud quid conficiens, quam causæ genus postulat. 6. si sit irregulare, seu contra præcepta insti-

institutum, nec docilem, nec benevolum reddens Auditorem.

Q. Quot, quibusve partibus constat Exordium?

℞. Ab Antiquis Rhetoribus sex istæ numerantur: *Prothasis*, *Catascheve*, *Auxesis*, *Apodosis*, *Ethyologia*, & *Basis*. Recentiores præsertim sacri Præceptores totidem, sed alias Exordiorum partes statuunt, nimirum: *Ingressum*, *Descensum*, *Propositionem*, *Introductionem*, *Partitionem*, & *Invocationem*. Pro ratione tamen materiæ vel arbitrio Oratoris plerumque tribus his: *Ingressu*, *Descensu*, & *Partitione*: interdum duabus: *Ingressu* & *Partitione*, absolvi potest & solet Exordium.

Q. Cupio singulas partes istas habere explicatas?

℞. I. *Ingressus* est prima pars Exordii, à qua initium ducit Oratio, respondens, Prothasi Rhetorum, quin & *Thesis* ab aliis nuncupatur, quod plerumque in thematis genere versetur. Jam pluribus, jam paucioribus Periodis, interdum una continetur. Si tamen plenior sit, plerumque tribus absolvitur: Propositione, illius ratione, & rationis amplificatione, seu exornatione à simili, Exemplo, Contrario vel testimonio. Jisdem de fontibus petitur, è quibus Exordia sumi consueverunt.

II. De-

II. *Deſcenſus* eſt ſecunda pars Exordii, dicta ab aliis *Hypoteſis*, quâ ſenſim delabitur Oratio ad Propoſitionem generalem. Totidem, quot Ingreſſus Periodis abſolvi poteſt, imo non rarò omittitur, vel cum Propoſitione confunditur. Vocatur etiam *applicatio*, nam ea, quæ in prima parte generatim dicta ſunt, themati ſpeciatim applicat. Sæpe tractatur per figuram *Interrogationis*, *Optationis*, *Conceſſionis*, *Apoſtrophes*, *Communicationis &c.*

III. *Propoſitio* eſt illa pars Exordii, in qua Orator intentionem ſuam breviter ac dilucidè Auditori declarat.

IV. *Introductio* eſt nexus ſeu vinculum Propoſitionis cum Partitione. Adhibetur tunc potiſſimum, quando Concionis thema diſtinguitur à partitione, ejuſque pauca vel penè nulla in ſuperioribus Exordii partibus ſemina jacta ſunt, nam ſic exigit connecti per introductionem. Ab Oratoribus præſertim *Gallis* frequentiſſimè uſurpatur, ab aliis plerumque omittitur.

V. *Partitio* eſt thematis generalis ſuas in partes diſtributio, conficiens totidem propoſitiones particulares.

VI. *Invocatio* eſt auxilii ad cæptum ſermonem ritè proſequendum à DEO per interceſſionem Deiparæ MARIÆ humilis imploratio. Hæc aliquando poſt *Introductionem* ponitur, interdum *partitioni* ſubjicitur

citur, nonnunquam penitus ſubticetur. In materia tamen difficiliori, ſublimiori, vel Sanctorum Panegyribus fere ſemper uſurpatur, quæ eò eſt elegantior, quò Orationis propoſito meliùs accommodata.

NARRATIO.

Q. Quid eſt Narratio?

R. Eſt rerum geſtarum vel quaſi geſtarum ad utilitatem cauſæ pertinentium commemoratio.

Q. An proprius Narrationis locus ſit poſt Exordium?

R. Rhetores (qui dicendi artem judicialibus præcipuè Cauſis tractandis accommodârunt) Narrationem ſecundo locô poſuêre. In judiciis namque Exordio ſubjicitur Narratio, niſi priùs refutanda ſint quædam præjudicia, aut crimina objecta. Ut apud Cic: pro Milone, pro Sylla, & Muræna. Iſtud tamen Narrationis genus minimè ſacri Oratoris inſtituto convenit. At non deſunt illi quinque alia Narrationis genera, quæ non raró in quacunque Concionis parte obveniunt.

Q. Quænam ſunt iſta quinque Narrationum genera Eccleſiaſtæ propria?

R. *Primum* eſt, cùm res geſtas è ſacro codice, aut vita cujuſpiam ſancti deſumptas ad comprobandum id, quod intendi-

tur,

tur, referimus. *v. g.* dum narratur Historia Joseph à Fratribus proditi, Davidis, Tobiæ, Judith, Ester, Jonæ Prophetæ, vel depingitur carnificina Martyrum. *2dum.* quod amplificandi causa sumitur, dum eadem scripturæ, aut Sanctorum exempla, vel etiam detestanda impiorum facinora amplificantur. Hac ratione Origenes obedientiam Abrahæ in Filii sacrificio, D. Chrysostomus 30. puerorum, quos Nabuchodonosor in fornacem conjici jussit, constantiam animique magnitudinem amplificant, quod Narrationis genus majorem eloquentiæ vim, quàm superius postulat. *3tium.* quod Allegoriæ Mysticisque scripturæ sensibus deservit, quo olim SS. PP. usi sunt. *4tum.* quod in Evangelica Lectione explicanda versatur, cujus vis & ratio ex sequenti capite fiet perspicua. *5tum.* tandem Narrationis genus est Digressorium, quod extra causam assumitur. Est autem *Digressio* excursio quædam opportuna in loco favorabili paululùm commorans ob diversos fines: vel *fidei comparandæ* gratia; ut facit Cic: Verr: 2. ubi statim sub initium digreditur in laudes Siciliæ, quo intolerabilior reddatur istius Provinciæ per Verrem eversio: vel *criminationis* ergo; ut idem in Oratione Miloniana sæpiùs egressioni-

ſionibus utitur, quò magis Clodianos in odium inducat; vel *correptionis* causâ; ut ferè ſemper D. Chryſoſtomus, peculiariter in *Hom: 19. in Gen:* ubi adverſus turpis lucri cupidos inſurgit, & avaritiam acerrimè inſequitur: vel denique propter *Tranſitionem*, *Amplificationem*, &c.

Q. Quid in genere Narrationis Digreſſorio obſervandum?

R. Maxima cura judiciumque adhibendum eſt, ne intempeſtivè fiat excurſio vel extra modum; nam æquô longiùs à propoſito divagantes, & Auditores in languorem, & ſe in ſuſpicionem inſcitiæ vel imprudentiæ notam inducunt.

Q. Cum egreſſio propter correptionem inſtituitur, quæ ſunt notatu digna?

R. 1. Enitendum eſt Viro Evangelico, ut populus planè cognoſcat ipſum nulla prava intentione, ira, odio, &c. ferri, dum in hoc vel illud ſcelus invehitur, ſed unicè id reſpicere, ut Dei honor promoveatur, peccata radicitùs extirpentur, & ſalus animarum ſequatur. Quare modeſtè, leniter & in charitate increpet; nam teſte S. Chryſoſtomo: *nihil ita confert, ut ille, qui audit, perſuadeatur ad reſpiciendum, quæ dicuntur, ac ſi cognoſcat, quòd cum magna dilectione dicuntur.* Caveat igitur maledictis quenquam laceſſat, convitietur, verbis

verbis durioribus etiam sceleratissimos compellet, *v. g.* Lutheranos canes nominando; hæc enim ægris non medentur, sed propter nauseam ejiciuntur. Imitemur ergo medicos, qui amara & acria medicamina dulcibus solent temperare. 2. Absit, ut quisquam in particulari hoc crimine affectus indicetur, in quod invehimur, ita ut populus possit conjicere, ad quem talis correptio dirigatur, licet Prædicator id minimè intendat. 3. Abstinendum omninò est à correptione Personarum statûs Spiritualis etiam in communi palàm, & coram populo (quod utique in suis Capitulis, aut Congregationibus privatim facere licet) hujusmodi namque correptio dignitatem præfati status vilipensioni exponere nata est. Jam enim in usum abiit, ut Sæculares Spiritualium defectus audiendo maximè congaudeant, & inde scandali ansam accipientes, similia sibi liberius permittant. 4. Si Concionator adventitius in populo quodam fuerit, non statim peculiaria illius populi vitia nimis rigidè reprehendat. 5. Juvenes ætate Concionatores defectu auctoritatis dedecet acriùs in Auditorem insurgere præsertim in luxuriæ carnisque vitiis taxandis, ubi provectiores moderatos esse expedit & circumspectos, nec obscæ-

obscænis vocabulis sensa explicare convenit, sed sufficit referre scripturarum exempla, quibus quantisque suppliciorum generibus hoc tam abominabile facinus DEUS punivit, & puniturum se declaravit. 6. Ut peccatum, quod dictione persequimur, omnibus fiat detestabile ostendendum est in eo, aliquid peculiare, quo cœtera vitia excedit. *v. g.* quòd sit DEO præ cœteris exosum, vel quòd sit origo plurium peccatorum, vel quòd pœnas pro eo graviores Dominus sit comminatus, &c.

Q. Quonam pacto correptiones ex ipso Evangelio deducantur?

R. *Dupliciter:* Directè, & à Contrario. *Directè*, quando idem vitium exagitandum assumitur, quod & ipsum Evangelium clarè, vel in Parabola reprehendit: à *contrario*, si dum Evangelium procedit de aliqua virtute, oppositum ei vitium reprehendatur, *e. g.* quando dicitur: (d) *Perrexit JESUS in montem Oliveti, & diluculo venit in Templum: & omnis populus venit ad eum:* tu exagites præsentium temporum desides, qui non modo diluculo in Ecclesiis non comparent, sed ad meridiem usque dormitantes, Missam plerumque dum ex præcepto tenentur, audire retardant, cujus non rarò causa sunt tota ferè nocte protracta convivia, aleæ, choreæ &c.

ut

(d.) *Joann: 8.*

ut de illis dici possit (*e.*) quòd noctem verterint in diem, & *diem in noctem.*

Q. Isthæc Narrationum genera num easdem Virtutes recipiunt, quas Narrationi in causis civilibus tribuunt Rhetores?

R. Easdem omnino 4. nimirum quævis debet esse brevis, dilucida, probabilis & jucunda.

Brevis erit, si nec altiùs inchoetur, nec longiùs protrahatur, quàm res postulat: si nihil extra causam dicatur: si resecentur ea omnia, quibus sublatis nec cognitioni quidquam, nec utilitati detrahitur.

Dilucida; si rei gestæ series servato causarum, locorum & temporum ordine absque perturbatione exponatur: si verba propria & usitata adhibeantur: si aliqua divisio seu partitio fiat.

Probabilis: si hæc quæ narrantur, Personis, locis, temporibus consentiant: si naturæ, moribus, legi, Religioni congruant: si assertorum causæ breviter subjiciantur, & narrantis probitas, veritas, ac fides significetur.

Jucunda erit, si nova, inexpectata, magna, gravia proferantur: si motus animorum, colloquia Personarum, genera dicendi permisceantur; varietas equidem sermonis effugit tædium, & sine satietate delectat.

Q. Num

(e.) *Job* 17.

Q. Num eadem quoque in narrando vitia utrique Oratori sunt fugienda?

R. Ita sanè. Numerantur autem vitia 4. singula singulis virtutibus opposita.

I. Si sit *longa*; quæ longitudo non tam ex prolixitate sermonis, quàm superfluitate verborum & circumstantiarũ est taxanda. Quapropter quoties exitus rei ostendit priora, hoc contenti simus, ex quo reliqua intelliguntur.

II. Si sit *obscura*, talis autem fit per crebras nimis Parentheses, per æquivocationem verborum, amphibologiam, Personarum & rerum confusionem.

III. Si non sit *verisimilis* vel propter non adjectas necessarias circumstantias, vel quòd incredibilia narrentur, vel denique quòd captum eorum excedant, apud quos narratur.

IV. Si sit *injucunda*: erit autem, si Figuris non illustretur, suspensionibus non teneatur, si modus dicendi non varietur, si pronuntiatione, quæ plurimum hac in re potest, non adjuvetur.

PROPOSITIO.

Q. Quid est Propositio?

R. Est pars Orationis Rhetoricæ summam dicendorum breviter ac perspicuè compre-

prehendens, ad quam veluti ad scopum omnia confirmationis argumenta diriguntur.

Q. Quotuplex est Propositio?

R. Duplex: Simplex, & Conjuncta. *Simplex* est, quæ unicam tantùm continet Quæstionem. *Conjuncta* (aliter dicta partitio, sive divisio:) est, quæ per partes proponit, quot, quibusque de rebus dicturi, & quem ordinem secuturi sumus. Sed de his plura jam suo loco dicta sunt.

CONFIRMATIO.

Q. Quid est Confirmatio?

R. Est pars Orationis Rhetoricæ, in qua rem à nobis propositam rationibus corroboramus.

Q. In quibus consistit Confirmatio?

R. In argumentis, & argumentationibus. De quibus sequentibus Articulis dicetur.

CONFUTATIO.

Q. Quid est Confutatio?

R. Est pars Orationis, quâ dissolvuntur ea, quæ parte ex adversa objecta sunt, aut jure objici possent.

Q. Quô differt confutatio à Confirmatione?

R. Illa probat, hæc refellit: illa, quæ pro Oratore faciunt, adducit, hæc quæ contra eum opponi possent, amovet: utraque

nihilo-

nihilominus ex iisdem Inventionis fontibus dimanat

Q. Quotuplex est modus seu industria confutandi?

R. Triplicem assignat Quinctil: (f.) Videlicet: negando, redarguendo, & elevando. *1mus.* adhibetur in falsis, quæ absolutè vera esse negamus. *2dus.* in dubiis, quæ potiùs in adversarium detorquemus. *3tius.* *in certis*, quæ inficiari non possumus, sed ex aliquo loco communi extenuare, & deprecari debemus, vel per Ironiam explodimus.

Q. Estne aliquis Ecclesiastæ Confutationis usus?

R. Non infrequens: potissimum si mentem Auditoris aliquo errore præventam cognoscat, vel si contraria his, quæ dicit, facile cuivis occurrant, tunc enim ista refutanda erunt, quò firmiùs veritas Propositionis stabiliatur, atque clariùs elucescat.

EPILOGUS.

Q. Quid est Epilogus seu Peroratio?

R. Est extrema pars Orationis, in qua id, quod tota oratione expetebat Orator, majori vehementia evincere, & obtinere contendit.

Q. Quot partibus constat Peroratio?

R. Tri-

(f.) *L.4. c. 13. & l. 9. c.3.*

℟. Tribus: Enumeratione, Amplificatione, & Affectibus. *Cic: in Partit.*

Enumeratio, seu recapitulatio est brevis præcipuarum rerum in Oratione fusè dictarum repetitio, quæ propter vitandam satietatem non semper eodem modo instituenda, sed varianda est per Figuras, præsertim Apostropham, Prosopopæiam, Interrogationem, Præteritionem &c. De *Amplificatione* & *Affectibus* diximus *l. 1.* quæ hìc maximè triumphant. Qua de re sic ait D. Aug: (g.) *Si, qui audiunt, movendi sunt potius, quàm docendi: ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes, & coërcitiones, & quæcunque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria.* Debent autem affectus Conclusionis cum tota oratione cohærere. Tandem finitur sermo spiritualis per Apostrophen vel ad CHRISTUM Crucifixum, aut in Altari præsentem, vel ad B. VIRGINEM, vel ad aliquem Sanctorum, præcipuè cujus solemnitas celebratur. Interdum etiam inexpectate, & (ut dici assolet) *ex abrupto* terminatur concio, quando nimirum vehementiori impetu fertur Epilogus, & gravi aliquo affectu, ut iræ, admiratio-

nis,

(g) *L. 4. de Doctr: Christiana.*

nis, vel ingentis doloris præumpitur, quo aculeus Auditorum cordi infixus relinquatur.

ARTICULUS II.

De Diſpoſitione Argumentorum.

Q. Quid eſt Diſpoſitio Argumentorum?

R. Eſt rationum inventarum idonea collocatio.

Q. Quæ eſt optima Argumentorum diſpoſitio?

R. Illa, quæ primò locò ponit argumenta firma, ſecundò mediocria, tertiò firmiſſima.

Q. Quænam cenſenda ſunt argumenta firmiſſima?

R. Apud profanos Oratores potiſſimum pondus habent argumenta è locis intrinſecis eruta, ut à Definitione, Genere, Cauſis, Effectis, &c. Contrà apud ſacros prævalent argumenta ab auctoritate Canonicæ Scripturæ, SS. Patrum &c. petita. Iſti quippe agunt ut plurimum de rebus, quæ non rationi ſed revelationi innituntur.

Q. Quænam inter firma reputantur ab Eccleſiaſtis?

R. Quæ ex locis intrinſecis depromuntur, ſeu quæ à Civilibus Rhetoribus pro firmiſſimis ſtatuuntur.

Q. Quæ mediocribus annumeranda?

R. Ea,

℟. Ea, quæ circa nominis explicationem versantur, qualia sunt à Notatione, & Conjugatis.

ARTICULUS III.
De Dispositione Argumentationum.

Q. Quid est Dispositio Argumentationum?
℟. Est Argumentorum per certas Argumentationum species variatio.
Q. Quid est Argumentatio?
℟. Est argumenti in debitam formam dispositio.
Q. Quæ sunt formæ Argumentationis Rhetoricæ?
℟. Syllogismus seu Ratiocinatio, Enthymema seu Collectio, Forma Hermogenis *4partita*. Forma Aphtonii *8partita*: Inductio, Inversio, Epicherema, Dilemma, Sorites & Exemplum. Priores quatuor Formæ sunt generales, sex posteriores minùs generales, singulas paucis perstringemus.

Syllogismus seu Ratiocinatio.

Q. Quid est Syllogismus?
℟. Est Argumentatio ex duabus Propositionibus conclusionem inferens: e. g. *Quod est bonum supra omne bonum, est supra omnia amandum. sed DEUS est bonum supra omne bonum. Ergo DEUS est supra omnia amandus.* Prima istius Argumentationis Propositio

dicitur *major* vel ſimpliciter Propoſitio; 2*da minor* ſive Aſſumptio, quia ex majore aſſumitur; 3*tia* Concluſio ſeu Complexio. Et hæc Forma vocatur ſimpliciter Syllogiſmus. Quodſi major vel minor Propoſitio non ſit perſpicua, aut utraque ſimul, liberum eſt Oratori adjicere alterutri vel utrique rationem, efficieturque Syllogiſmus 4*partitus*, aut 5*partitus*, qui ſimpliciter Ratiocinatio appellatur.

Q. Quid circa Formam Syllogiſticam advertendum?

R. Non ſemper à Propoſitione ordiendum, à complexione, ab Aſſumptione nonnunquam: omittenda ſæpe probatio, quando propoſitio clara eſt. Deinde quælibet Propoſitio illuſtrari debet variis Figuris, amplificationibus & locis Rhetoricis; ſine his enim jejuna & languida eſt argumentatio, magiſque ad argumentationem Philoſophicam, quæ à Zenone manui in pugnum contractæ aſſimilatur, accedit, quàm ad oratoriam, quæ ab eodem cum manu expanſa confertur.

Enthymema ſeu Collectio.

Q. Quid eſt Enthymema?

R. Eſt Syllogiſmus imperfectus, cui altera ex duabus propoſitionibus deeſt ſive major,

jor, sive minor: ut *omnis virtus est amplectenda. Ergo & pietas.* ubi latet Propositio minor: *sed pietas est virtus.* Prima hujus Argumentationis Propositio vocatur *Antecedens*, altera, quæ ex priore infertur, vocatur *Consequens.* Si tantùm istæ duæ Propositiones tractentur, erit simpliciter Enthymema; si verò Propositioni subjiciatur ratio, ejusdē rationis ratio seu confirmatio, tum Expolitio seu Exornatio ab aliqua similitudine, comparatione, testimonio, aut Exemplo ducta, denique in Complexione inferatur eadem Propositio, erit Collectio Rhetorica *spartita*, à Cic:. ad Cajum Herennium expressa.

Forma Hermogenis.

Q. Quid est Forma Hermogenis *4partita*?

R. Est eadem Forma præcedens, si omittatur unica pars, scilicet rationis ratio seu confirmatio.

Forma Aphtonii seu Chria.

Q. Quot partibus constat hæc Forma?

R. *Octo: 1ma* est *laus Auctoris*, quæ locum tenet Exordii. *2da Expositio facti, dicti*, vel utriusque, quæ Narrationis, & Propositionis vices gerit. *3tia* Causa seu Ratio. *4ta* Contrarium. *5ta* Simile. *6ta* Exemplum. *7ma* Testimonium

ſeu ſententia; quæ omnes confirmationem componunt. 8va Epilogus ſive Concluſio, quæ Orationem terminat.

Q. Quotuplex eſt Chria?

R. *Triplex: Verbalis*, in qua celebre alicujus Auctoris dictum; *Activa*, in qua factum; & *Mixta*, in qua utrumque commemoratur.

INDUCTIO.

Q. Quid eſt Inductio?

R. Eſt Argumentatio, qua ex pluribus ſingularibus infertur Propoſitio univerſalis.

Q. Quotupliciter fit Inductio?

R. *Tripliciter*: 1. Enumeratione partium ſub uno genere contentarum, ut: *prudentia, juſtitia, temperantia*, & ſic de cœteris virtutibus, ſunt *expetendæ. Ergo omnis virtus eſt expetenda.* 2. Similitudinum aut Comparationum coacervatione. 3. Plurium Exemplorum congerie.

INVERSIO.

Q. Quid eſt Inverſio?

R. Eſt argumentatio, in qua ex ratione Adverſariorum, non quod ſibi volunt, ſed quod Orator ſuadet, ſequi oſtenditur.

Q. Quot partibus conſtat Inverſio?

R. *Tribus*: 1. Propoſitione, v.g. *Non eſt*

quanto-

quantocyus pœnitentia agenda. 2. Ratione, *quia DEUS multæ miserationis diu præstolatur peccatoris conversionem.* 3. Inversione rationis: *Imò hôc ipso ocyùs de peccatis dolendum est, quôd DEUS summè misericors longo tempore expectet emendationem: nam quò patitur longiùs, eò punit severius.*

EPICHEREMA.

Q. Quid est Epicherema?

R. Est argumentatio unica Propositione integrum Syllogismum, aut Ratiocinationem continens. e. c. *Quis dubitet mundum, qui optimè regitur, consiliô & providentiâ administrari.* Ubi latet iste Syllogismus: *Omne, quod optimè regitur consiliô administratur, sed mundus optimè regitur, Ergo consiliô administratur.* Istiusmodi sunt illa Sacræ Scripturæ: *Tu mihi lavas pedes? Juda osculo Filium hominis tradis.*

DILEMMA.

Q. Quid est Dilemma?

R. Est Argumentatio duobus contrariis, ceu cornibus pungens (unde & Syllogismus cornutus vocari consuevit) quorum utrumlibet concesseris, semper premeris. Tale est illud CHRISTI Domini alapâ à servo percussi: (*h.*) *Si malè locu-*

(h.) *Joann:* 18.

tus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?

SORITES.

Q. Quid est Sorites?

R. Est Argumentatio, in qua per seriem & veluti catenam multarum Propositionum gradatim pervenitur ad aliquam Conclusionem. D. Hieronymus *epist: ad Heliodorum: Nemo Propheta in patria sua honorem habet. At ubi honor non est, contemptus est, ubi contemptus, ibi frequens injuria: ubi autem injuria, ibi & indignatio: ubi indignatio, ibi quies nulla, ubi quies non est, ibi mens à proposito sæpe deducitur; ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minùs fit ab eo, quod tollitur, & ubi minus est, perfectum non potest dici. Ex hac supputatione illa summa nascitur, Monachum perfectum in patria sua esse non posse. Perfectum autem esse nolle, delinquere est.*

Q. Quotupliciter instituitur Sorites?

R. *Tripliciter:* 1. Si vox ex præcedenti commate repetatur in sequenti, ut patet in exemplo immediatè adducto. 2. Si voces non repetantur, sed per legitimam consequentiam inferantur. v.g. *Hic vir verè sapiens est, ergo humilis, ergo patiens, ergo moderatus est.*

Q. Quis est usus istius Formæ?

R.

℞. Tunc valet plurimum ad amplificationem Conclusionum, quando argumenta totius Orationis in unam veluti catenam conglomerantur. v.g. *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? quantum verò animæ detrimentum pateretur, si illam innocentiâ spoliaret? quomodo autem non spoliaret, si tentationibus non resisteret? at quô pactô resistere poterit, si continuò pravorum sese ingeret consortiis? omni itaque contentione fugienda sunt pravorum consortia, si exoptamus (prout ardenter concupiscere tenemur) ne quid anima nostra detrimenti capiat.*

EXEMPLUM.

Q. Quid est Exemplum?

℞. Est Argumentatio, quæ rem singularem altera singulari, sive pari, sive dispari, simili aut dissimili evincere nititur. v. g. *Socrates Ethnicus Philosophus pauper semper fuit, nudis pedibûs incedens, sordido palliolo contentus, honores & omnia terrena spreverat. Ergo tu Christiane potiore jure paupertatem amare debes: quam nihilominus etsi nullum malum neque vitium sit, omnes abhorrent atque fugiunt.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

De formanda prima totius Concionis idea.

Q. Quid per primam Concionis ideam sit intelligendum?

R. Rudia quædam sacræ Orationis lineamenta sine omni ornatu, & forma Oratoriæ elocutionis, osseæ instar compagis nondum carne ac nervis vestitæ.

Q. Estne aliquid in formanda isthac idea emolumenti?

R. Plurimum sane; hac quippe ratione tiro 1. consuescet ordinatè dicere. 2. à proposito non recedere. 3. citiùs & alacriùs orationem componere: operosum namque est omnia simul agere; invenire nimirum, disponere & eloqui. 4. viso argumentorum numero atque robore, decernet, quid contractiùs, quid fusiùs debeat proferre. 5. tandem longo usu id assequetur, ut vel ex tempore dicere valeat ordinatè.

Q. Quo ergo ordine in fabricanda integræ orationis structura est procedendum?

R. Videat præprimis Orator, in quonam genere Causæ, sit verba facturus. 2. constituat mente dictionis suæ scopum seu *Crinomenon*. 3. formet rudi minerva propositionem sive simplicem, sive (quod

moder-

modernis præplacet) conjunctam, talem nihilominus, quæ ex aliqua Evangelii pro hac die præstituti sententia eruatur, quæ & pro textu assumetur, nisi quemcunque Scripturæ locum proposito accommodatum eligere libuerit. 4. Constituta jam Propositione, aliàs etiam Partitione, locos Oratorios tam communes utriusque Oratoris, quàm sacri proprios percurrat, è quibus princeps saltem argumentum ad illam confirmandam desumat, nam reliquæ principalium rationum confirmationes facile sub ipsa elocutione obvenient. Nolit autem anxius hærere in singulis, sed si in aliquo eorum nihil occurrerit, pergat ad sequentem. Sicut etenim teste Pòëta: *non omnis fert omnia tellus*, ita nec quilibet locus cuivis quæstioni argumenta suppeditat. Hæc autem, quæ invenerit, in charta notet, quorum siquidem ingens erit copia, seliget dein ea, quæ magis ad rem suam facient, levioribûs & à proposito alienîs rejectîs. Quod si post diligentem Locorum discussionem nullæ claræ & convincentes thematis probationes haberi queant, mutentur cogitationes in meliores. 5. Singulis argumentis singulas destinet argumentationis Formas, aliquas ex supra propositis, quæ ad vitandam satietatem non semper eædem sunt adhi-

adhibendæ, aſt pro varietate argumenti ad placitum Oratoris variandæ. 6. Affectus præcipui, in complexionibus & Epilogo ciendi jam hic animo præconcipiantur. Licet aliqui eos, ſicut & modos argumentationum ad elocutionem differant. 7. Digreſſionibus moralibus & materia, & locus, in oratione opportunus proſpiciatur. 8. Cœtera, ut Tranſitiones, Figuræ, Periodi commodùm ſub ipſa compoſitione naſcentur. Tandem his inventis ac diſpoſitis poſtremò ad Exordium progrediendum eſt, uti jam ante diximus.

CAPUT II.

De variis Concionandi modis.

Siquidem modi concionandi ſunt in triplici differentia: alii nempe, qui ab antiquiſſimis naſcentis Eccleſiæ Patribus fuerant uſurpati; alii, qui ulteriorum progreſſu ſæculorum à ſacris Oratoribus ſunt adhibiti, vel ab Eccleſiaſticæ Magiſtris eloquentiæ traditi; alii denique, qui noſtra ætate vigent: ideò tribus Articulis ſtrictim ſinguli examinabuntur.

ARTICULUS I.

De modis concionandi ab antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus uſurpatis.

Q.

Q. Quanam construendæ concionis sacræ methodo veteres olim usi sunt?

℞. Sancti Ecclesiæ Patres paraphrasticum dicendi genus in suis Prædicationibus usurparunt, quas *Homilias* primùm, dein *Postillas* inscribebant.

Q. Quid nominis & rei *Homilia* & *Postilla*?

℞. *Homilia* Græcè idem sonat, quod Latinè *sermo ad populum*, quemadmodum D. Augustinus apertè declarat (*i.*) inquiens: *statui autem per sermones id agere, qui proferuntur in populis, quos Græci Homilias vocant.* Est autem Homilia mera Evangelii explicatio, non alium ordinem nexumque secuta, quàm factorum & dogmatum, quæ in ipso continentur Evangelio, additis brevibus ad recitata verba observationibus. Latini *Tractatum* etiam dixere, teste *S. Victore Uticensi*, (*k*) *Augustinus usque ad illud tempus ducentos jam, triginta, & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, atque Tractatibus popularibus, quas Græci Homilias vocant.*

Postilla dicitur explicatio marginalis alicujus verbi in textu obscuri, & sonat: *post illa* nempe post illa verba textus. Postillator autem est, qui postillam interpunxit, quorum primus Hugo Cardinalis,

(i.) *In Proem: in Psalm. 118.*
(k.) *L. 1. de persecut: Wand.*

lis, qui floruit anno 1240. *Ita Domini Macri.* (*l.*) Cœterum Postillæ nomen obtinuerunt etiam Conciones in Homiliæ formam dictæ, quia post singulos Evangelii textus animadversiones, totidem quasi explicationes subjungi solent.

Q. Quibus vulgò partibus constant hæ concionum normæ?

R. Tribus istis: 1. *Præparatione*, quæ per modum Exordii instituitur. 2. *Expositione*; qua sensus literalis cum aliqua amplificatione explicatur. 3. *Exhortatione*; qua populus ad servandam morum integritatem excitatur.

ARTICULUS II.

De modis concionandi, qui ulteriorum progressu sæculorum à sacris Oratoribus sunt adhibiti, vel ab Ecclesiasticæ Magistris eloquentiæ traditi.

Q. Quam pridem conciones sacræ in Orationum formas redigi cœperunt?

R. Quarto etiamnum post CHRISTUM natum sæculo orationes adhibitæ fuerunt, dum scilicet profana eloquentia in foro silere jussa vim suam omnem ad Divorum transtulit Augustalia.

Q. Ro-

(l.) *In Hierolexico.*

Q. Rogo explanari aliquot id genus sacrarum formas Concionum?

R. I. Una Evangelii sententia, in quædam membra dividitur, quæ seorsim explicata integram conficient concionem.

II. Singula verba assumptæ sententiæ sigillatim expenduntur, atque ad salutarem instructionem referuntur.

III. Tota Concio in aliquot sectiones sive paragraphos secum ex vi materiæ connexos distribuitur, quamvis non omnes in assumpta sententia immediatè includantur.

IV. Sententia Evangelii, aut Scripturæ, juxta diversos ab Ecclesia receptos sensus jam supra (*m.*) explicatos exponitur.

V. Per Paraphrasin & explanationem totius Evangelii. Quod si fuerit *Historicum* continens quoddam factum, narratur tota Historia, & in decursu fiunt prudentes reflexiones juxta sensus SS. PP. Si *doctrinale* tradens aliquam doctrinam; proponitur hæc doctrina, & per adjuncta rerum ac Personarum dilatatur. Denique si Evangelium fuerit *mixtum* complectens simul facta & doctrinas; fit applicatio ad mores tam ex doctrina, quàm ex facto.

VI. Si obveniant in Evangelio duo textus, sibi quodammodo oppositi, vel alter ex

(m.) *L. II. c. 2. art. 5.*

ex Evangelio, alter ex quocunque S. Scripturæ loco, unus in prima, alter in secunda parte exponitur, tandem circa finem pro utilitate, & instructione Auditorum conciliantur.

VII. Ex eadem sententia possunt elici duo sensus contrarii, ac problematicè tractari, donec in conclusione vel ipse Orator decidat, vel Auditoribus decisionem relinquat.

VIII. Præfigitur aliqua propositio concioni, ex textu Evangelii assumpta, & continua serie testimoniorum, aut ex S. Scriptura, aut ex SS. Patribus, aut primo ex illa, deinde ex istis electorum comprobatur.

IX. Ex S. Evangelio consideratè relecto eruuntur aliquot dogmata, quæ in duabus tribusve partibus pro instructione populi explicantur.

X. Vel etiam formatur Propositio istiusmodi, ad quam totum, aut ferè totum Evangelium revocetur.

XI. Textus Evangelii, vel alius Scripturarum locus habens sensum involutum exponitur, demonstrando verum & germanum illius sensum, eumque confirmando, amplificando, & si forte aliis sibi oppositis interpretationibus sit obnoxius, illas refutando, quo firmius nostrum corrobo-

roboretur propositum, & veritas clariùs elucescat.

XII. Instituitur sermo ad modum meditationis, quæ methodus in privatis Oratoriis, aut cœnobiis Virginum DEO dicatarum præcipuè ante sacram synaxim usui esse potest. Duplex est autem meditatio; una *probans*, altera *ponderans*. Primæ talem ordinem præscribit *Amadæus à Castrovillare*; (*n.*) 1. Ducitur breve Exordium ex sinu materiæ. 2. Excitatur fides de præsentia Dei. 3. explicatur & probatur veritas assumpta. 4. Fit morale & motus affectuum. 5. Progrediendum est ad fructum meditationis. Altera hunc servat: 1. Fit præfatio declarans necessitatem, utilitatem, excellentiam meditationis, atque adeo attentionem concilians. 2. Narratur Mysterium, vel Historia ponderanda, aut aliquod morale. 3. Dividitur Meditatio in quædam capita. 4. Singula hæc explicantur, examinantur, & ponderantur interjecta semper mora, & tempore proportionato ad examen eorum, quæ proferuntur. 5. Digreditur Orator faciendo aliquas reflexiones morales, breves, serias, & proposito conformes. 6. Vehementiori affectu excitatur Auditor ad hoc, vel illud viti-

um ra-

(n.) *Tom. I. de zelo Apost: pag: 154.*

um radicitùs evellendum, aut certam virtutem, actumve heroicum exercendum.

XIII. Inservit explanationi dogmatum discursus per Dialogos, quando duæ aut tres Personæ mutuo colloquentes inducuntur. Ubi tria cavenda sunt: 1. Ne quidquam proponatur, quod aut infirmis auribus nocere possit, aut plenè enodari nequeat. 2. Ne aliquid Personæ tribuatur, quod illi minimè, aut minus convenit. 3. Ne Concionator vilioris fortasse Personæ vices gerens ejus vilitatem induat.

XIV. Primùm in genere, & universaliter de aliqua materia tractatur, seu per *Thesim*, tum in specie & particulariter, seu fit descensus ad *hypotesim*.

XV. In Concione *Polemica*, vel solùm dogma aliquod Catholicum exponitur & confirmatur; vel etiam objectiones Acatholicorum diluuntur; vel denique toto illius decursu falsum dogma impugnatur. Semper tamen accersendæ erunt Formæ ex Rhetorica Confirmationi, & Confutationi inservientes, per quas integræ quoque Conciones duci possunt. Sed cùm istæ jam supra traditæ sint, aliæ verò diversis in locis præsertim, ubi de Imitatione in *Prolegomenis:* & Divisionibus *Lib: 2.* egimus, sparsim explanatæ, facile

facile totis sacris Orationibus construendis accommodari queant, ideo pluribus hìc referendis non immoror.

ARTICULUS III.

De modis concionandi, qui nostrà ætate vigent.

Q. Qui sunt modi concionandi hoc sæculo celebratiores?

R. Quatuor: 1. Ciceronianus. 2. Instar Disputationum, D. Thomæ. 3. per Chriam. 4. qui vulgo *Gallicus* nuncupatur.

Q. Quomodo Ciceronis dicendi normam in Evangelii prædicatione sequamur?

R. 1. Si totam sermonis nostri structuram unicâ Syllogismi figurâ concludamus; cujus major cum suis probationibus Exordii locum occupet. Minor seu Assumptum erit Propositio, ejus probationes Confirmationem constituent, ubi & Refutatio continebitur. Complexio Epilogum dabit. 2. Si principium Concionis absolvatur duobus Enthymematis, aut syllogismo, tum statuatur Propositio, sive fuerit simplex, sive in plura membra exdivisa, deinde argumentis ex sacra Scriptura aliisque locis deductis & per varias præcedente capite traditas argumentationum formas dispositis stabiliatur: tandem Epilogus secundum suprà dicta claudat concionem.

Q. Quô pactô Scholastica disputandi D. Thomæ methodus sacris Concionibus adaptari queat?

R. Optimè & facillimè sic: Formetur præprimis quæstio in materia, quæ tractanda assumitur, eaque initiô dictionis exponatur, nec non rationes in contrarium afferantur. Postea sententia nostra declaretur, quæ Propositionis vices obibit, mox subsequentur argumenta illam confirmantia, simulque rationes in contrarium allatas diluentia. Ad extremum more solito concludetur. v. g. die festo Omnium Sanctorum posset institui quæstio: an omnes homines valeant evadere Sancti? & responderet imprimis Concionator contrarium huic, quod ipse cum Sancta Ecclesia in ista dubietate sentit ac tenet, dicendo, quòd ipsi videatur non posse omnes homines fieri sanctos, cujus causas assignaret; quia nempe 1. multi tale vitæ conditionem amplectuntur, in qua mille habent DEUM offendendi, & proximo injuriam inferendi occasiones, quas vix evitare possunt. 2. multæ Personæ adeò sunt debilis sexus, ut nihil in DEI honorem suamque salutem agere aut pati queant. 3. Plurimi tam tenuis sunt fortunæ, ut nec commoditatem DEO serviendi, illumque continuò laudandi habeant, nec Ecclesias, aut hospitalia erigendi

gendi, vel peccata sua eleemosynis redimendi, ulla ipsis facultas subsit. Hîs in Exordio expositîs aperiret tandem mentem suam sacer Orator, atque sensum suum Auditori patefaceret hac Propositione: *Omnes omnino sancti hoc est salvi esse possumus.* Cujus probationem in promptu haberet, quia CHRISTUS Dominus pro omnibus passus est, omnes ex æquo pretiosissimo Sanguine suo redemit, omnes vult salvos fieri, nec nisi damnatorum culpâ fit, quòd æternùm pœnas inferni passuri sunt. Evicta hujusmodi probationibus suæ Propositionis veritate, ad infirmandas adductas initiô sermonis in contrarium rationes accederet, diceretque illas esse futiles & inanes, ac distinctim quamlibet confutaret. *Primam*; quia plurimi numerantur Sancti, qui idem vitæ genus profitebantur, quorum aliquos nominare oportet. *2dam*; an non debilis sexûs fuêre tot spiritu heroicæ Virgines? quarum aliquæ recensendæ. *3tia* Ratio invertetur: imò ipsa paupertas est medium obtinendæ salutis, juxta hoc, quod hodie legitur Evangelium: *Beati pauperes &c.* Neque necessario ad salutem requiritur, ut quis nihil agat, nisi preces ad DEUM fundat, in omni namque opere laudatur Dominus; aut splendidas Basilicas

ſilicas exſtruat, aut larga manu egenos ſublevet, ſi ſibi opes non ſuppetant, ſufficit recta hæc præſtandi voluntas, ſi adeſſet facultas, interim quod nobis fortuna negavit, virtute compenſare ſtudeamus. Inde profluet Epilogus in quo concludetur nullam nos habere rationem ſolidam, quin Sancti ſalvique fieri valeamus, ſi velimus: exerceamus modò virtutes, quas Sancti exercuerunt has & illas, fugiamuſque vitia, & certò cum illis nos lætaturos, Deumque in perpetuum laudaturos ſperemus.

Q. Quá ratione per Chriæ partes ducendus ſermo Evangelicus?

℞. *Dupliciter*: 1. Ita, ut inchoetur ab explicatione textus, deinde factum vel dictum ſingulare, ſeu alicujus Sancti (ut diebus feſtis) ſeu alicujus Parabolæ (ut in Dominicis) Propoſitionem ſubeat. Initio Confirmationis exponatur idem factum vel dictum, tum in Confirmationem illius cauſa aſſignetur, tandem ſubjungatur Contrarium, Similitudo, Exemplum, Teſtimonium; qui ordo partium non omnino exactè obſervandus, ſed trajici interdum poteſt, ut ars occultetur. Poſtremò Epilogus ex dictis inferetur adhortando ad ſimile huic factum, ſeu virtutum exercitium, quod integro ſermonis curſu deduximus. 2. Paulò aliter,

nimi-

nimirum si laus Auctoris alicujus dicti, vel facti, aut sancti cujuspiam initio dictionis; ejusque expositio immediatè ante Propositionem fiat. In Propositione pollicebitur Concionator se in ulteriori discursus sui tractu aperturum causam tam eximii facinoris, vel quid simile, quam reliquæ omnes partes præscripto, vel immutato ordine consequentur. Exemplis parco nolens esse longior, quàm proposui.

Q. Num explicati tres modi integram semper orationem sacram constituunt?

R. Minimè, licebit iisdem aliquam duntaxat illius partem conficere, præsertim Confirmationem.

Q. Quæ est natura methodi concionandi, quam *Gallicam* vocant?

R. Hæc methodus sic dicta, quòd à *Gallis* inventa, aut exculta sit, est istius modi: Formatur præprimis aliqua Propositio generalis ex sententia Evangelii, seu alio Scripturæ Divinæ textu assumpto fluens, & tractatur uno Argumento per aliquem locum intrinsecum, vel extrinsecum, in festis per compendiosam, ac materiæ accommodatam vitæ sancti expositionem, quo finito, eademque propositione expressa, fit Apostrophe ad B. V. MARIAM, compellando eam, vel per Antiphonam tempo-

tempori servientem, v.g. *Regina Cœli &c.* vel sæpius per *Ave MARIA*. Tum sequitur alterum argumentum continens, partitionem propositionis generalis in duo vel tria membra, quæ illam propositionem generalem exhauriant. Quæ membra si adhuc sint communia, restringuntur per adjectionem aliquarum particularum semel & iterum, quoad opus fuerit, enucleatiùs semper intentionem Oratoris explicantium. Tandem singula membra, eo, quo proposita sunt, ordine probantur, quorum rationes si commodè ad certa capita redigi possunt, ita rediguntur, & hinc subdivisio nascitur. Exempla obvia sunt in sacris præsentium temporum Oratoribus.

Q. Ex illis antiquioribus, & his recentioribus concionandi methodis quæ tandem Evangelico Doctori sit arripienda?

℟. Licet non is sim, qui causæ istius judicem agam, tamen quid sentiam, indicabo. Lex nulla imposita est, liberum cuique pro sua capacitate, genio, materiæ dignitate, auditoris utilitate, rerum explicandarum natura, necessitate, nunc isto, jam alio concionandi genere uti, neque enim omnibus ingeniis, aut singulis quoque argumentis omnia conveniunt.

LI-

LIBER IV.

De Elocutione.

QUoniam virtutes Elocutionis 4. à Rhetoribus ſtatuuntur: Latinitas, Perſpicuitas, Ornatus, & Suavitas; ideò prioribus 5. Libri iſtius capitibus de ſingulis agemus. In *1mo* primas duas virtutes expendendo. In *2do* de Tropis. In *3tio* de Figuris. In *4to* de ſententiis; quæ omnia ad ornatum pertinent. In *5to* de Periodis numeroque Oratorio, ac junctura membrorum Periodi & Tranſitionibus, (quod ad ſuavitatem refertur). Tandem in *6to* de tribus dicendi generibus, quæ inde naſcuntur, pertractabitur.

CAPUT I.

De Latinitate & Perſpicuitate.

ARTICULUS I.

De Latinitate.

Q. Quid per Latinitatem intelligendum?
R. Huic virtuti Latini Eloquentiæ Magiſtri nomen iſtud indidêre, quam nos haud temerè ad quasvis alias linguas extendimus, caſtigatum in iis atque cum Grammatices Regulis concordantem ſermonem

Lati-

Latinitatis nomine ſignificando. Habet quippe unum'quodque idioma ſuam Syntaxim, Phraſes, ac peculiares expreſſionum modos, in quibus aliquis non bene verſatus dum ſuggeſtum conſcendit, eum in ludorum theatrum immutat. *Quamobrem ſi fieri poteſt*, (inquit Fabius) *& verba omnia, & vox, hujus alumnum urbis oleant, ut oratio Romana planè videatur, non civitate donata.*

Q. Num in vernacula quiſque lingua contra iſtam virtutem peccare poteſt?

℞. Imò verò peccant ii omnes, qui peregrinas dictiones in patrias detorquent, vel unas cum aliis ridiculè permiſcent, ſeu oſtentandi ingenii ergo, ſeu per incuriam v.g. Si Polonicè dicatur: *ſperanza* pro *nádzieiá*; *ſplendeca* pro *iaſność*, *godność*; *Remuneratywa* pro *nagroda*; *Komprobament* pro *dowod*. *Wybrańci* vel *Elekci* pro *Swięci*. Item: *założyć lokandę*, *świadczy legenda życia*, *&c.* Item: *ten verè bogaty*, *kto w cnoty* opulentus, *&c.* Aliter ſentiendum eſt de verbis etiamſi ex alio idiomate detortis, longo tamen uſu receptis, & ita tritis, ut vernaculæ naturam induiſſe videantur, qualia ſunt apud Latinos multa Græca; apud Gallos & Italos plurima ex Latinis inflexa; apud Polonos aliqua ex Germanicis, ut: *Handel*, *Kachel*, *Kufer*

Kufer, &c. quædam ex Italicis, ut: *Furfant*, quod etiam à Gallis uſurpatur: *Forfante*, aliqua ex Gallicis, ut: *profit*, *awanturá*, *alians*, *&c.* multò plura ex Latinis, ut *talent*, *konferowáć*, *reflektowáć ſię*, *&c.* Nam etiam Cic: (o.) profitetur: *quòd exprimeret quædam verba imitando, quæ nova Romanis eſſent, dummodo eſſent idonea.* Eadem licentia Poloni eò abutuntur liberiùs, quòd non excolendo propriam linguam more aliarum Nationum non facile nobis occurrant voces, quæ extraneis ſubſtitutæ nec plus, nec minus ſonent, ſed ex æquo illorum ſignificato reſpondeant, *v.g.* his dictionibus: *ſubjekcyá*, *reſtrykcya*, *ámniſtyá*, *&c.* quænam ſurrogabuntur? Idem ſentiendum de vocabulis ſcientiarum propriis, quæ magnam partem à Græcis & Latinis profecta, in omnibus linguis retinentur. Tutiſſimè quoque utimur iis dictionibus, quæ inditæ ſunt rebus progreſſu temporis inventis, quarum notitiam primi linguæ Auctores non habuêre, qui ſi ſupervixiſſent ad hoc tempus, alia certè nomina addituri fuiſſent. Talia ſunt apud Latinos: *Typographia*, *Tabacum*, *Cerevifia*, *Czoculata*, *&c.* maximè verò in rebus ſacris. ut: *Incarnatio*, *Trinitas*, *Miſſa*, *&c.* Placet multorum Polonico idiomate concionantium laudabilis con-

(o) *L. 1. de Orat. n. 39.*

consuetudo, qui non tam novis pro libito formandis, quàm antiquis longo non usu oblivioni traditis Polonorum vocabulis de pulvere quasi suscitandis dant operam, quô & vocum defectui consulant, & orationem quendam candorem, quin gravitatem etiam præseferre faciant. Libenter itaque usurpant: *BOGA - Rodzico Dziewico, działáć, práwi, rozprawa, dzierżać, &c.* Verba quoque Pöetica Oratori confingere quamvis Cic: (p.) permittere videatur, rarissimè tamen, atque (ut ex illis, quæ pro exemplis subjicit, colligere licet) talia, quæ ab Oratoribus quoque & ipsomet Cicerone sunt usurpata. *Neque enim*, inquit, *illud fugerim dicere, ut Cælius: qua* tempestate *Pœnus in Italiam venit: nec* prolem, *aut* sobolem, *aut* effari, *aut* nuncupari; non verò purè Pöetica, qualia sunt: *horrifera Plutonis Regna, mare fluctivagum, multijugus, dulcisonus, trisulcus, &c.* Similia apud Polonos: *Jasnoświętny, Gwiazdolity, słodkowargi, słodkobrzmiący, &c.* Quanquam id tolerabilius judicaverim, quàm si nimis vulgata, & trivialia vocabula, adagia seu prolo- quia non sine contemptione dicentis, quin honestarum læsione aurium in medium proferantur, *v. g. Gdźie przesłkoczyć nie można, tam podleść trzeba. Cnoty*

pasz,

(p.) *Lib. de Orat: n. 26.*

pasz, miłości Boskiey nie masz, o miłość Bliźniego, nie pytay. Ná pochyłe drzewo y kozy skaczą, & sexcenta alia, quæ consultò prætereo, cùm verear, ne hisce ipsis, quæ tanquam aliena exaravi, aliquam chartis meis maculam asperserim.

ARTICULUS II.

De Perspicuitate.

Q. Qualis esse debeat in Oratione perspicuitas?

R. Talis, quæ sermonem clarum, ad intelligentiam Auditoris accommodatum efficiat. *Nam quid prodest* (inquit S. Aug:) (q.) *locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis: cùm loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur, non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur?* Quid prodest clavis aurea, si non aperiat, da ferream ut aperiat.

Q. Quô pactô Oratio reddatur perspicua?

R. *Dupliciter*: 1. *Verbîs singulîs*, si adhibeantur propria, id est talia, quibus ad exprimendam rem, qua de agitur, nihil inveniri queat significantius: si non singula copiosa loquacitate circumeamus, communem loquendi usum aspernantes. Si, quæ ad plenam dictionis intelligentiam necessaria sunt, non subtrahantur. Accipe mo-

(q) *Lib: 4. de Doctr: Christ:*

pe monitum D. Aug: loco immediatè laudato: *Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Et si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eliget, si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minùs integris: dum tamen res ipsa doceatur, atque discatur integrè.*
2. *Verbis conjunctis*, si in rebus ipsis vitetur omnis obscuritas, juxta dicta de Narratione. Si quæstiones Philosophicæ, aut Theologicæ imperitæ multitudini non proponantur monente eodem S. Doctore (r.) *Sunt quædam, quæ sua vi non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantumvis planissimè dicentis versentur eloquio: quæ in populi audientiam vel rarò, si aliquid urget, vel nunquam omnino mittenda sunt.* Si longiores Parentheses non interjiciantur. Si nimia Latini sermonis copia; sive verba sacræ scripturæ, aut SS. Patrum allegando, sive aliàs quomodolibet, Patrio idiomate dicenda concio non referciatur; hoc enim linguæ istius ignaris obscuritatem atque tædium parit. Verùm non eousque à Latinarum usu sententiarum Ecclesiastæ abhorrendum est, ut quorundam novellorum more, ne textus quidem pro concione assumptus, multo minus alius scriptu-

(r.) *Lib: 4. de Doctr. Christian.*

pturæ locus Latinè proferatur; hoc enim eſt non modicum auctoritatis, firmioris vis, majoriſque impreſſionis, quam in mentibus auſcultantium facere poſſemus, ſermoni noſtro detrahere. Inſuper videtur id eſſe contra diſpoſitionem Sacroſancti Conc: Trident: Seſſ: 4. ubi decernitur, *ut vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Et infra. *Nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram Scripturam, ad ſuos ſenſus contorquens---interpretari audeat etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.* Senſus tamen longiores, putà exempla Biblica, SS. Patrum amplificationes, fuſasque exaggerationes, indicatô locô, ubi leguntur, patrio ſermone retuliſſe ſufficit. Vitanda denique eſt infinita locorum verſiculorumque recitatio, etiam ubi nulla probandi incumbit neceſſitas, magis ad memoriæ oſtentationem, quàm ad aliquem fructum conferens.

CAPUT

CAPUT II.

De Tropis.

Quoniam Tropus est verbi, vel Orationis à propria significatione ad impropriam cum virtute, ac dignitate translatio; apertè colligitur, quòd alii in uno verbo, alii in pluribus seu in oratione consistant.

ARTICULUS I.

De Tropis in uno verbo.

Q. Quot sunt Tropi in uno verbo?

R. Septem: Metaphora, Metonymia, Synecdoche, Antonomasia, Catachresis, Metalepsis, & Onomatopæia.

Q. Quid est Metaphora?

R. Est translatio verbi à propria significatione, ad impropriam propter similitudinem. Ut dum CHRISTUS Herodem ob animi calliditatem, ac versutiam vulpem appellavit, (f.) *Ite, & dicite vulpi illi.* Pharisæi dicuntur: *genimina viperarum.* Non est autem necesse, ut res, ad quam significandam transfertur vox propriè significans aliam, habeat similitudinem secundum omnia rei translatæ convenientia; quemadmodum explicat S. Thom.

(f) *Luc.* 13.

Thom: q. 7. de veritate, a. 2. ad 5. *In his quæ translativè dicuntur, non accipitur Metaphora, secundum quamcunque similitudinem, sed secundum convenientiam in illo, quod est de propria ratione rei, cujus nomen transfertur. Sicut nomen Leonis in DEO non transfertur propter convenientiam in sensibilitate, sed propter convenientiam in aliqua proprietate Leonis.*

Q. Quæ sunt in Metaphora cavenda?

R. 1. Ne sit nimia inter hæc dissimilitudo, quæ nos propter similitudinem transferimus: v. g. *corpus est vagina animæ, animus est succus corporis.* 2. Ne sint Metaphoræ humiles, audaces, duræ, remotæ, v. g. *si solem dicas mundi candelam, nivem Cælorum spumam.* Quodsi tales aliquando Concionatori adferre expediat, molliri debent formulis similibus: *ut ita dicam, si fas est dicere,* vel *particulis: quasi quodammodo.* 3. Ne sint nimis crebræ, quia obscuram reddent Orationem.

Q. Quid est Metonymia?

R. Est Tropus, in quo causæ prò Effectis, vel effecta pro causis, Inventor pro re inventa, continens pro eo, quod continetur, Possessor pro re possessa, aut denique signum pro re signata ponitur, ut Levit: 26. *Inducam super vos gladium:* hoc est *bellum.*

Q. Quid est Synecdoche?

R. Est

℞. Est Tropus, in quo totum ex parte, vel pars ex toto, species ex genere, & vicissim, materia ex re facta, antecedentia ex consequentibus, plura ex uno, vel è contra intelliguntur. In scripturis sæpissimè *anima* pro toto homine ponitur, similiter & *caro*, ut: *omnis caro corruperat viam suam super terram.* Gen: 6.

Q. Quid est Antonomasia?

℞. Est Tropus, in quo pro nomine proprio substituitur Appellativum, quod illi soli propter excellentiam ab omnibus tribuitur. v. g. *Apostolus* pro Paulo.

Q. Quid est Catachresis?

℞. Est abusio vocis propinquæ pro propria. 2. Reg: 24. *Adoravit Regem prono vultu* pro *veneratus est*, nam adoratio soli DEO propriè competit.

Q. Quid est Metalepsis?

℞. Est Tropus, in quo vox adeò à longè petitur, ut nisi gradus per plures in ejus expressionem veniatur. Extant complura exempla in Prophetis, qui obscurè locuti sunt, ne mysteria sacra paterent aliàs ne margaritæ projicerentur ante porcos: sic *Hebdomadæ Danielis*, pro annis ponuntur. CHRISTUS dicitur *Filius David*, mediantibus multis progenitoribus: sicut & nos *Filii Adæ* vocamur.

Q. Quid est Onomatopæia?

℞. Est fictio vocis ad imitationem rei vel

ſimilitudinem ſoni naturalis inflexæ, ut: *Patrizare, crocitare, rhetoricari.*

ARTICULUS II.
De Tropis, qui in pluribus verbis, ſeu Oratione fiunt.

Q. Quot ſunt Tropi in pluribus verbis?
℟. *Tres*: Allegoria, Ironia, & Hyperbole.
Q. Quid eſt Allegoria?
℟. Eſt Tropus, quo aliud verbis dicitur, aliud ſenſu intelligitur.
Q. Quotuplex eſt Allegoria?
℟. *Triplex*: Pura, Mixta, & Compoſita: *Pura* eſt; cum totus ſenſus verbis translatis exponitur nullo ſimplici ſive proprio interjectô. Ut Joan: 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas. Mixta* eſt, quando ſenſus Allegoricus cum ſimplici permiſcetur. Maximo eſt Oratoribus uſui, quia illuſtrat non obſcurat orationem. Ad Epheſ: 6. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis in omnibus ſumentes ſcutum fidei - - - & galeam ſalutis aſſumite. Compoſita* eſt, cùm quædam in Prothaſi ſimilitudo præmittitur, eademque in Apodoſi cum propriis dictionibus commiſcetur. Hier: 13. *Si mutare poteſt Æthyops pellem ſuam, aut par-*

dus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Iſtiusmodi ſunt omnes illæ parabolæ, quibus circa finem adjungitur aliqua ad mores pertinens applicatio.

Q. Quid in Allegoria præcipuè obſervandum?

R. Ut quo genere cœperis translationem, eodem finias. Unde malè diceretur: *Invidiæ incendiô deflagravi, ejuſque fluctibus demerſus ſum.* Benè tamen ſi vox voci opponatur: v.g. *Ardentes cupiditatum flammas lacrymîs pœnitentiæ exſtingue.* Id autem non eſt ita intelligendum, ut ſi ſemel cœperis Allegoriam, eam toto orationis tractu perſequi debeas, quod vitiosè faciunt non pauci, Orationique ſuæ ſpiſſas tenebras offundunt. Verùm ut ſenſus Allegoricus una aut altera Periodo continuatus, non habeat permiſta translationum genera.

Q. Quid eſt Ironia?

R. Eſt Tropus quo facetè illudimus alicui contrarium verbis ab ipſa re indicando. Ita Elias ſacrificulis Baal idolum ſuum invocantibus, ut igne de Cœlo lapſo ſacrificium conſumeret, abſque eo, quòd eventu potirentur, illudebat dicens: (t.) *Clamate voce majore: DEUS enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere.*

(t.) 3. Reg: 18.

nere, aut certè dormit, ut excitetur.

Q. Quibus modis intelligitur Ironia?

R. Pronuntiatione; quæ irrisionem præsefert: vel Persona reique natura verbis, quæ proferuntur, contraria.

Q. Quid est Hyperbole?

R. Est Tropus, quô res augetur vel minuitur supra veritatem, non tamen supra modum. Matth: 11. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens.* id est: parùm manducans, & bibens.

CAPUT III.

De Figuris.

Figura seu Exornatio (Græcè Schema) est conformatio quædam sermonis supra communem, & primùm se offerentem loquendi rationem elata. Quod quia accidit vel in singulis verbis, vel in sententiis, ideò seorsim de utrisque duobus agemus Articulis.

ARTICULUS I.

De Figuris Verborum.

Q. Quotuplices sunt Figuræ verborum?

R. *Triplices:* Per Additionem, per Detractionem, & Similitudinem.

Figuræ per Additionem.

℣. Quæ sunt Figuræ per Additionem?

℟. *Repetitio*; cùm idem vocabulum initiô plurium comatum, membrorum, aut periodorum iteratur. D. Cyprian: *Si Filii Dei sumus, si templa ejus esse jam cæpimus, si accepto Spiritu Sancto, sancti & spiritualiter vivimus, si de terris oculos ad cælum sustulimus, si ad superna & Divina plenum DEO & CHRISTO pectus ereximus, nonnisi quæ sunt DEO & CHRISTO digna faciamus.*

Conversio; cùm idem vocabulum in fine plurium comatum, aut membrorum repetitur. Apost: 1. Cor: 13. *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus; sapiebam ut parvulus; cogitabam ut parvulus, &c.* Idem 2. Cor: 11. *Hebræi sunt, & Ego; Israëlitæ sunt, & Ego; Semen Abrahæ sunt, & Ego &c.*

Complexio; quæ ambas præcedentes simul complectitur, alteram initiô, alteram in fine vocem constanter iterando. S. Greg: Hom: 30. in Evang: *Implet Spiritus S. puerum Citharædum, & Psalmistam facit. Implet abstinentem puerum, & Judicem senum facit. Implet Pastorem armentarium, & Prophetam facit. Implet Piscatorem, & Principem Apostolorum facit. Implet persecutorem, & Doctorem gentium facit. Implet publicanum, & Evangelistam facit.*

Conduplicatio seu *Geminatio;* dum aliqua vox sive continenter, sive separatim cum

cum impetu pronuntiationis ingeminatur. Exemplis refertus est facer codex. Act: 9. *Saule, Saule! quid me persequeris?* 2. Reg: 19. *Fili mi Absalon! Absalon Fili mi! quis mihi det, ut moriar pro te fili mi Absalon!*

Traductio; quando idem verbum casibûs, aut generibûs, modîs aut temporibûs, vel significatione paululùm immutatîs repetitur. Ut illud Pauli ad Ephes: 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

Polysyntheton; dum frequentantur conjunctiones, quo magis instet Orator. S. Aug: DEUM nobis fideliter certantibus adesse probat: (u.) *Conatum tuum novit DEUS, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat: & hortatur ut pugnes; & adjuvat, ut vincas; & certamen inspectat, & deficientem sublevat, & vincentem coronat.*

Correctio; quando aliquod verbum corrigit Orator, substituens aliud magis idoneum, vel nullum: v. g. *Quidam Christiani (si eos hoc nomine compellare fas est) verbîs CHRISTUM profitentur, factis abnegant.*

Gradatio; quæ positum priùs verbum repetit in posteriori, & sic consequenter donec ad summum ascendat, vel ad infimum gradum descendat Oratio. Rom: 8.

Quos

(u) *Enar: in Psal: 32.*

Quos præscivit, hos & prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.

Figuræ per Detractionem.

Q. Quot numerantur Figuræ per Detractionem?

R. Quatuor istæ:

Adjunctio; cùm ad unum verbum seu primum, seu medium, seu postremum plures sententiæ referuntur. D. Basilius: (v.) *Ne igitur indulgeas carni tuæ, somnis, balneis, mollibusque stratis.*

Dissolutio; quando demptis conjunctionibûs dissolutè plura dicuntur. Horologi Princ: *Planetæ, Stellæ, Cæli, aquæ, terra, ignis, àër, animalia, plantæ, pisces, intra suam singula, in qua creata sunt, conditionem manent, ut nec querantur, nec sibi inter se invideant. Solus homo nec queri unquam desinit, nec unquam expletur, & conditionem mutare semper gestit. Nam opilio (quod res ipsa loquitur) agricolæ, agricola civis, civis nobilis, nobilis Equitis torquati, Eques torquatus Principis, Princeps Regis, Rex Imperatoris locum expetit.*

Synecdoche seu *Intellectio*; quando vox omissa facile ex aliis intelligitur. CHRI-

STUS

(v) *Orat. 16. de Inglu.*

STUS Dominus Matri ſuæ vini miraculum, petenti dixit: *Quid mihi, & tibi eſt Mulier?* ſubintellige: *faciendum.*

Synæcioſis; quæ duas res diverſas conjungit unico verbo, in una parte expreſsè poſito, in altera ſubaudito. v.g. *Tam deeſt avaro quod habet, quàm quod non habet.* Supple: *deeſt.* Similiter dici poſſet: *Tam nocet immoderata ſervitus, quàm immoderata libertas.* Supple: *nocet.*

Figuræ per Similitudinem.

℞. Quot ſunt figuræ per Similitudinem?
℟. Quatuor ſequentes:

Paronomaſia ſeu *Annominatio;* cùm alicui voci alia quoad literas penè ſimilis, in ſignificatione diſſimilis ſubjungitur.

℞. Quot modis fit Paronomaſia?
℟. His potiſſiùm 4.

1. *Adjectione* literarum, vel ſyllabarum. D. Cypryan: de habitu Virgin: *Capilli tibi non ſunt, quos DEUS fecit, ſed quos diabolus infecit.*

2. *Detractione* earum: ut *amore facienda ſunt bona opera non more.*

3. *Commutatione* earundem, ut: *diabolus ridet, dum hominem peccantem videt.*

4. *Tranſpoſitione* vel *Inverſione* unius, aut plurium literarum ſive in prima, ſive in mediis, ſive in ultima ſyllabis, ut: *cor-*

pus

pus est porcus, & voluptatis procus. Item: *Delige quem diligas.*

Similiter cadens; quando nomina in eosdem casus, aut verba in eadem tempora cadunt. S. Cyprian. adversus Demetri: *Certè & labor irritus, & nullus effectus offerre lumen cœco, sermonem surdo, sapientiam bruto; cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire.*

Similiter desinens; quando plurium dictionum exitus sonô similes sunt. Hæc Figura cum præcedente sæpe concurrit, elegans autem est tum, dum non extrema tantùm, sed media quoque variè, & multipliciter sibi respondent. D. Cyprian. ad Donatum: *Accipe non diserta sed fortia: nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad Divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia. Accipe quod sentitur, antequam discitur: nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendiô gratiæ maturantis hauritur.*

Commutatio; quando una sententia nascitur ex altera, per ipsius conversionem: (x) *Qui se exaltaverit, humiliabitur, & qui se humiliaverit exaltabitur.* Item: (y) *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum.*

ARTI-

(x) *Matth. 23.* (y) *Marci 2.*

ARTICULUS II.
De Figuris Sententiarum.

Q. Quotuplices ſunt Figuræ Sententia-rum?

R. Triplices: aliæ ad docendum, aliæ ad delectandum, ad movendum aliæ aptio-res, tametſi non inficior pleraſque illa-rum ad omnia ſimul conferre.

Figuræ ad docendum appoſitæ.

Q. Quæ potiſſimum Figuræ huic Oratoris officio ſubſerviunt?

R. Iſtæ:

Anteoccupatio; quâ Orator præveniendo adverſarium, quod contra ſe dici poſſet, reſolvit. Cic: pro Cœlio n. 39. *Dicet a-liquis, hæc eſt igitur tua diſciplina? ſic tu in-ſtituis Adoleſcentes? ob hanc cauſam tibi hunc puerum parens commendavit & tradidit, ut in amore & voluptatibus adoleſcentiam collo-caret, & hanc tu vitam, atque hæc ſtudia tu defenderes? Ego, ſi quis, Judices, hoc ani-mi robore, atque hac indole virtutis ac con-tinentiæ fuit, ut reſpueret omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque animi contentione conficeret, quem non quies, non æqualium ſtudia, non ludi, non con-vivia delectarent, nihil in vita putaret expe-*

tendum, nisi quod esset cum laude, & cum dignitate conjunctum hunc meâ sententiâ, Divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto.

Correctio; quando sententia quasi invitîs nobîs elapsa revocatur, & alia substituitur. Cic: pro Lig: n. 24. *Quæro, quid facturi fuissetis? quanquam quid facturi fueritis non dubitem, cum videam quid feceritis.*

Præteritio; cùm dicimus nos ea prætermittere, quæ tum maximè proferimus atque explicamus. Cic: pro Cluent: *Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulsam ex matrimonio filiam, nihil de Oppiniaci nuptiis querar, prætereo quod &c.*

Concessio & *Permissio*: quibus videmur aliquid etiam iniquum, ei, adversus quem disputamus, concedere, propterea, quod inde nihil obfuturum proposito nostro, aut illorum causæ suffragaturum sequatur. D. Cyprian. (z) *Locupletem te esse dicis & divitem, & utendum putas iis, quæ possidere te DEUS voluit: utere, sed ad res salutares: utere, sed ad bonas artes: utere ad illa, quæ DEUS præcipit, quæ Dominus ostendit. Divitem te esse sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonia tua DEO fænera, CHRISTUM ciba. Possessiones tibi sed cœlestes magis compara &c.*

Figu-

(z) *De habit: Virg.*

Figuræ ad delectandum accommodatæ.

℣. Quænam Schemata delectant?
℟. Sequentia.

Apostrophe: cùm à præcedente sermone aliò nos convertimus, DEUM, Angelos, Sanctos, damnatos, vel res inanimatas veluti Personas quasdam compellando. Conjungitur sæpe Exclamationi, Interrogationi, comminationi &c. Sic CHRISTUS Dominus (*a.*) *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas.* Et (*b.*) *væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida.*

Dubitatio: cùm quid dicendum, quidve faciendum sit, nos dubitare significamus. Eusebius Emissen: (*c*) *Quid primum mirer, quidve postremum? quòd sine conceptu est collata fæcunditas, an quòd per partum magis est glorificata virginitas? Sed non mirum, si ita peperit: talis erat ille, cui nupserat.*

Communicatio, quando Orator non jam ipse secum (ut in Dubitatione) sed cum aliis deliberat, quid agendum sit. D. Greg: de Magdalen. *Quid igitur miramur Fratres? Mariam venientem, an Dominum suscipientem, dicam an trahentem? dicam meliùs trahentem & suscipientem?* Cyprian.

(a.) *Luc: 13.* (b.) *Luc: 10.*
(c.) *Hom: de Nativit: Domini.*

prian: serm. de lapsu: *Quid hoc loco faciam dilectissimi Fratres, fluctuans vario mentis æstu? quid aut quomodo dicam? lacrymis magis, quam verbis opus est.*

Sustentatio: quâ diu suspensi tenentur Auditorum animi, tandem aliquid præter illorum opinionem subjungitur. Quidam de S. Catharina: *Ecce verò rem spectaculo dignam! Templum, in quo Imperator sacrificabat, ingreditur Catharina, Virgo genere nobilissima, Imperatori tamen nunquam visa. Hæc paucis ancillis comitantibus per medios egressa Satellites ad Imperatorem contendit. Quid deinde? quid censetis? non exhorruit ad aspectum atrocissimi Tyranni? magnum est in Virgine sed fortassis non novum; non vox excidit? admirabile, non tamen inusitatum; supplex certè accessit? nam cum Imperatore secus agere quomodo potuit? Cogitate quidquid potestis: vincit expectationem omnium nostrum virtus S. Catharinæ. Imperatorem orbis terrarum, hominem ferum & barbarum, hostem atrocissimum Christiani nominis, Virgo ignota maximo hominum conventu liberè aggreditur, coarguit impietatis & sceleris, sacrilegii accusat. &c.*

Prosopopæja; est ficta loquentis inductio, cùm defunctis ceu vivis, aut quibusvis rebus inanimatis sermo tribuitur. Exemplis superabundat scriptura præcipuè in

libris

libris Sapientiæ. Unum profero. *Sapient.* 5. Impiis hæc in die Judicii sermocinatio adscribitur: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum - - dicentes intra se: - - hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus à via veritatis, & Lumen justitiæ non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non ortus est nobis, &c.*

Q. Quid in hac Figura observandum est?

R. Ut consentanea personis vox, & Oratio applicetur; ridiculum enim esset, si juveni sermo gravis, rudi perpolitus, miserabili lætus affingeretur.

Ethopæja: quando ingenium & mores hominis, vivìs depinguntur coloribûs. D. Hieron: in quadam epist. fictam humilitatem describit: *Perfacile est aliquem habere vestem contemptam, salutare submissius, manus & genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis humilitatem atque mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, suspirare crebrius, ad omne verbum peccatorem ac miserum se clamare: sed si vel levi sermone offensus fuerit,*

erit, continuò videbis attollere supercilium, levare cervicem, & delicatum illum orationis sonum insano clamore repentè mutare.

Hypotyposis; est rerum gestarum talis expressio, ut coram geri, & præ oculis versari videantur. Hoc modo Greg: Nissen: cædem innocentum puerorum exhibet. (d.) *Quis oratione calamitates delineaverit, atque descripserit? quis ante oculos ponere narrando clades, & funera possit? promiscuam illam lamentationem, flebilem concentum puerorum, matrum, cognatorum, patrum ad carnificum minas miserabiliter exclamantium? quomodo quis cum ense nudo carnificem iuxta infantem stantem, torvis ac cæde micantibus oculis intuentem, atque alias consentaneas voces edentem, sinistra manu puellum ad se trahentem, suasque proprias cervices ensis mucroni submittentem, ne suis oculis videat miserum filium carnificis manibus trucidari? Qua ratione quis affectus patrum exposuerit? implorationes, exclamationes, gemitus, extremos filiorum amplexus? cùm multa etiam talia eodem tempore simul acciderent? Quis multiplices ac varias calamitates, facies ac modos deploraverit, ut miser infans simul & mammæ adhæresceret, & per viscera letale vulnus acciperet? ut misera mater & papillam ori infantis admoveret,*

(d.) De Nativ: Dñi.

ret, & sanguinem filii sinu exciperet? sæpe autem alicubi carnifex ruente munu uno impetu gladii filium unà cum matre transfixit?

Antithesis; est exornatio, in qua verba verbis vel sententiæ sententiis opponuntur. D. Hieron: diversitatem viarum, ad æternitatem ducentium ostendit. (e) *Vide, quanta sit inter has vias separatio, quantumque discrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam; illa celebratur & teritur à multis: hæc vix invenitur à paucis. Illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior, & mollior, & velut quibusdam amœna floribus voluptatum, facile ad se rapit commeantium multitudinem: hæc verò insueto calle virtutum tristior, atque horridior ab his tantùm eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis.*

Figuræ ad movendum aptæ.

Q. Quænam Figuræ vi amplificandi pollent?

R. Multæ:

Interrogatio; dum ob aliam, quàm sciendi causam sciscitamur. 1. Cor: 4. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?*

Responsio; quando non id, quod petitur,

(e) *Epist. 14. ad Celan.*

tur, sed plus, vel minùs, vel aliud respondetur. Matt. 11. *Et tu Capharnaum! nunquid in Cælum exaltaberis? usque ad infernum detrahêris.*

Subjectio; cùm quærens, sibi ipse ad Interrogationem directè respondet. Apost. Rom. 3. *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus.*

Aposiopesis seu *Præcisio*; quæ est inchoati sensus interruptio, vel majoris suspicionis movendæ, vel obscænitatis vitandæ causâ, ita, ut nec aliundè colligi possit, quid reticeatur, per quod differt à Synecdoche. (f.) *Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?* Auctor ad Herenn. Lib. 4. *Tu ista nunc audes dicere? qui nuper alienæ domi: non ausim dicere, ne, cùm te digna dixero, me indignum quidpiam dixisse videar.*

Emphasis; cùm ex nostro dicto aliud quidpiam latens eruitur. Ut in illo Petri ad CHRISTUM: *Tu mihi lavas pedes?* in quem locum Augustinus: Quid est, inquit, *Tu*, quid *mihi*? cogitanda sunt potiùs, quàm dicenda, ne fortè, quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit animus, non explicet lingua. ita ille. Augustus Imperator auditô, quòd Herodes immanissima strage parvulos jugulari jusserit, dixisse fertur: *Malle se Herodis porcum quàm*

(f.) *Psalm.* 6.

eum quàm filium esse. Unde intelligitur ratio, quia Herodes utpote Proselytus à porcorum cœde abstinebat, non item ab hominum sanguine.

Deprecatio, seu *Obsecratio*; quando aliquem simpliciter, vel per hoc, quidquid ei in pretio esse scimus, obtestamur, ut aliquid faciat vel omittat. S. Paulus (g) *Obsecro vos per misericordiam Dei.*

Optatio; quâ nobis vel aliis bonum precamur. S. Chrysologus ex ratione arboris, cujus fructum comederunt Proto-Parentes nostri in hunc affectum erumpit: *O si tunc vel levis turbo mortiferam arborem dejecisset! ô si nebulæ fumus illius mulieris tenebrâsset aspectum! ô si terræ nubes letalis pomi speciem caligâsset! ô si manus tangens inconcessa tremuisset! o si peccati diem tenebrâsset nox injusta &c.*

Execratio: quâ malum alicui imprecamur: Christiano Oratori non est in usu, qui potiùs sanam mentem, conversionem, cœteraque bona spiritualia cuivis optare tenetur, quam diras in cujusquam caput conjicere.

Licentia; quando posthabitâ timoris, aut verecundiæ causâ liberè dicimus. Ubi advertendum, quòd si prævideatur secutura Auditoris offensa; vel non apertè exprobrandum crimen, sed sub aliquo involu-

X

(g) *Ad Rom. 12.*

volucro, quemadmodum facit Nathan Propheta, peccatum David sub Parabola castigans: vel acrimonia certîs dicendi formulîs mitiganda. v. g. *dicam invitus, non dicturus nisi esset in rem vestram; si quid fortè audietis acerbiùs, cogitate graves morbos non sanari levibus pharmacis.* Imò suam quoque Personam sacer præsertim Orator includat per pluralem numerum auscultantes alloquendo, tum ex humilitate, tum ne ipsi obstrepant susurrantium voces, quòd se quasi immunem excipiat; tum denique captandæ benevolentiæ gratiâ.

Auxesis seu *Incrementum;* cùm per gradus crescit Oratio, donec ad summum quodammodo pervenerit. v. g. *Pusilli animi est, vindictam velle sumere: gloriosum est cum Tiberio ridere injurias, aut cum Tito aspernari: gloriosius cum Theodosio condonare: gloriosissimum cum Augusto etiam muneribus rependere.*

Epiphonema; quod est dictum sententiosum rem narratam vel argumentum deductum concludens. Tertullian: l. de Patient. c. 15. *Si injuriam deposueris penes Deum; ultor est: si damnum; restitutor est: si dolorem; medicus est: si mortem; resuscitator est: Quantum patientia licet, ut Deum habeat debitorem!*

Exclamatio; cùm Orator vehementem aliquem affectum sive expressa, sive sub-

audita

audita Interjectione significat, cujuscunque demum generis ille sit. Suavissimè hujusmodi Amplificatio funditur, dum singulis membris singulæ Exclamationes subnectuntur. Istius modi est Exclamatio Tertulli: (h.) *Mutius dextram suam libens in aris reliquit, facere aliquid in castris felicius potuit, nihil fortius: o sublimitas animi! Empedocles totum se Catanentium Æ-tneis incendiis donavit: o vigor mentis! aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit. O præconium castitatis! Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur. O virum fortem, & in captivitate victorem! &c.*

Q. Qualis esse debet Figurarum usus?

R. Moderatus ne crebræ Exornationes tædium pariant, vel puerilitatem redoleant, aut nimis affectatum sermonem efficiant. Interrogationibus tamen, Repetitionibus, Apostrophis, cœterisque, in quibus non tam studiosa Oratoris industria relucet, sæpiùs uti possumus. Quas etiam in quibusvis Orationis partibus adhibere licet, cùm plerasque alias statim ab initio ponere absurdum esset, cujusmodi sunt: Exclamationes, Hypotyposes, Prosopopæiæ, Epiphonemata &c. his enim proprius locus est post res graviores explicatas. Præterea, quæ ad docendum valent,

(h) *In Apologet. c. 50.*

serviunt Exordio; quæ ad delectandum, confirmationi & confutationi; quæ ad movendum, Perorationi. Quanquam Ordo iste pro judicio Oratoris immutari valet, sed dummodo Figuræ non vi intrudantur, sed ita quibusque locis accommodentur, ut ibi natæ non factæ esse videantur. Quod nisi frequenti Ciceronis aut eloquentissimorum SS. Patrum lectione, obtineri nequit.

CAPUT IV.
De Sententiis.

ARTICULUS I.
De Natura Sententiarum.

Q. Quid sunt sententiæ illæ, quæ tantopere Oratori commendantur, orationemque exornant?

R. Sententia *Cornificio*, vel quisquis ille sit *Auctor ad Herennium*, est *Oratio sumpta de vita, quæ, aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita breviter ostendit.* Seu est brevis quædam dictio doctrinam saltem probabilem ad vitam moresque hominum pertinentem in se continens. Dixi *brevis*: nam longiores sensus etiam generaliter procedentes atque ad mores ordinati non ornant Orationem, nec in ea luminis rationem habent, quod est de natura sententiarum.

Qua-

Quare sententiosè dicere, non est coacervatis Auctorum dictis suam Orationem farcire, tunc enim testimoniis veriùs, quam sententiis uteremur.

Q. Quotuplex est sententia?

R. Duplex: *Aperta*; quæ est dictio universalis nullis circumstantiis adstricta. v. g. Si dicas generaliter: *Divinorum omnium divinissimum est cooperari in salutem animarum.* Et *occulta*; quæ est dictio singularis adstricta determinatis circumstantiis loci, temporis, Personarum. Ut si eandem universalem restringas ad circumstantiam Personæ per Apostrophen, sic: *Viri Apostolici! quanta est muneris vestri dignitas? certe Divinorum Divinissimum est, dum cooperamini in salutem animarum.* Utraque hæc sententia aut est *simplex*, si ex pluribus sententiis non componatur, neque ejus, quod asserit, rationem contineat. v.g. *Nemo sine nævo.* aut *Composita*, quæ vel ex pluribus sententiis coalescit, vel dictionis rationem complectitur. v.g. *Adolescentes à prima statim ætate ad virtutem formandi; nam quales fuerint juvenes, tales erunt & senes.*

ARTICULUS II.

De usu Sententiarum.

Q. Quænam leges in sententiis usurpandis servandæ?

R. Istæ ex Fabio colliguntur. I. *Ut sententiæ sint veræ, aut saltem verosimiles:* nam aliàs

opportunam ad formandos hominum mores doctrinam, quam exprimere debent, neutiquam continerent. *Tales* autem (quemadmodum advertit Quinctilianus) *frequenter ab iis dicuntur, qui nimium generica usurpant, & quidquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronuntiant.*

II *Ne sint nimis crebræ;* redderent namque orationem dissolutam suoque flumine carentem. Omnis equidem sententia subsistit, cùm quælibet sensum claudat, & nova novi sensus initium ducat.

III. *Opportunè inspergantur;* id est in locis sententiosum dicendi genus postulantibus. Ut in Exordiis, Narrationibus, Peroratione, verbo, ubi docere vel gravius aliquid dicere volumus.

IV. *Ne sint de rebus obviis;* alioqui facile vilescerent. Quodsi de obviis dicendum fuerit, eleganti saltem aliquo Tropo, aut Figura sententiæ exornentur, ut hac methodo, rei obviæ novitas quædam gratiaque accedat.

V. Tandem, *Sententiis compositis potiùs & occultis, quam simplicibus & apertis* esse utendum inde suadetur, quòd cùm priores universalem doctrinam contineant, proferuntur ab Oratore, ceu decreta à Judice, aut oracula è tripode, quod plerumque affectatum, gravique Auditori fastidio-

ſtidioſum eſt: poſteriores verò cùm doctrinam ſingularibus involutam latenter proponant, retenta tota vi ac efficacia dictam evitant affectationem.

CAPUT V.

De Periodis, numeroque Oratorio, ac junctura Membrorum, Periodorum, & Tranſitionibus.

ARTICULUS I.

De Periodis.

Q. Quid eſt Periodus?

R. Eſt ambitus ſive circuitus verborum habens ſenſum, & numerum perfectum.

Q. Quæ ſunt partes Periodi.

R. Majores vocantur cola ſeu membra; minores comata ſeu inciſa.

Q. Quid eſt coma ſeu inciſum.

R. *Inciſum* ſic dictum, quòd in eo cædatur, & ſecetur inter dicendum Oratio, eſt pars mediata Periodi, (quia medio membro illam conſtituit) nondum quidquam abſolutè ſignificans. Poteſt fieri vel in ſingulis verbis. Cic: (i.) *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit*; vel in pluribus conjunctis. Ut idem (k) *Tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi,* &

(i.) *Catil: 2.* (k.) *Pro M. Marcello. n. 19.*

& consilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata esse videantur.

Q. Quid est Colon seu Membrum?

R. Est pars immediata Periodi, sensum quidem utcunque perfectum, sed tamen suspensum, & ex reliquo Periodi corpore pendentem habens. D. Cyprian: sermonem de patient. exorditur: *De patientia locuturus Fratres dilectissimi &c.*

Q. Quotuplex est Membrum?

R. *Triplex: Parvum*; quod ad 10. syllabas non extenditur: *Mediocre*; quod ad 18. progreditur: & *Magnum*; quod 20. syllabas excedit.

Q. Quid est incisim, quid membratim, & quid Periodice dicere?

R. *Cæsim* seu *incisim* dicimus, cùm in singulis incisis ita insistit Oratio, ut hæc in membra non coalescant. D. Cyprian. contra Demetrianum: *Breviatur in dies singulos ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitia concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.*

Membratim dicimus, cùm in singulis membris ita insistit oratio, ut in Periodum non sint ligata. Cic: (*l.*) *Cùm exstinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus Ordinis, addicebas Tribunoplebis consulatum*

(*l.*) *In Pisonem n.56.*

latum tuum, Rempubl: evertebas. &c.

Periodicè dicimus; quando ambitu finito Periodorum effertur explanaturque sententia. D. Cyprian. membrum suprà allatum prosequitur: (m) *De patientia locuturus Fratres dilectissimi, & utilitates ejus & commoda prædicaturus, unde potiùs incipiam, quàm quòd nunc quoque ad audientiam, vestram patientiam video necessariam: ut nec hoc ipsum, quod auditis & discitis, sine patientia facere possitis.* Postremum dicendi genus in usu est præsertim in Exordiis, & passim in Confirmatione, quando argumenta non tanta contentione vibrantur. Priora duo eleganter secum permiscentur, habentque locum in Narrationibus, descriptionibus, & in Epilogo, ubi graviùs instamus, ac ipsa dictionis volubilitate ad finem nos properare ostendimus.

Q. Periodus artificiosa, quibus partibus constare debet?

R. Prothasi & Apodosi. *Prothasis* vocatur pars periodi antecedens seu principium, ut plurimum aliquam sententiam generaliter proponens: quam dein pars consequens ad certas circumstantias determinat, & ad rem nostram accommodat dicta *Apodosis.* Ut Cic: pro Arch: Pòëta n. 14. *Nisi multorum præceptis multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vi-*

(m) *De patientia.*

in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda: (Protasis) *nunquam me pro salute vestra in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem.* (Apodosis.)

Q. Quotuplex est Periodus?

R. *Duplex: Perfecta;* quæ ambitu, quatuor membrorum magnitudinem haud excedente integram, cum observatione antecedentis & consequentis sententiam perficit. Et *Imperfecta;* quæ uno membro nimis protenso, aut pluribus quàm quatuor sine dependentia antecedentis, & consequentis sententiam absolvit.

Q. Quot sunt species Periodi perfectæ?

R. Pro numero ac varietate membrorum, multiplices ac variæ sunt Periodi.

Monocolos seu *Unimembris* est, quæ unico membro sensum concludit. Sen. *Prima & maxima peccantium pœna est, peccâsse.*

Dicolos seu *Bimembris* est, quæ duobus membris constat. e.g. *Ut nullum fortius est, quàm quod secum geritur, prælium: sic nulla gloriosior, quàm de se ipso victoria.*

Tricolos seu *Trimembris;* quæ ex tribus membris componitur. S. Ambrosius: *Lætandum magis, quòd talem Fratrem habuerim,*

rim, quàm dolendum, quòd amiserim; habuisse enim est munus, debitum amisisse.

Tetracolos seu *Quadrimembris* est, quæ quatuor colis sive membris continetur. Exordium Cic. pro Milone: *Etsi vereor Judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere; minimèque deceat, cùm T. Annius Milo ipse magis de Reipub. salute, quám de sua perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen hæc novi judicii forma terret oculos, qui quocunque inciderint veterem consuetudinem fori. & pristinum morem judiciorum minimè vident.*

Quadrata Periodus, quæ quatuor membris magnitudine ferè æqualibus absolvitur, quæ si valde numerosa sit, *Rotunda* appellatur. Exemplo sit Exordium Cic: pro Rabirio perduelli: *Etsi Quirites, non est mea consuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam; propterea, quòd cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur esse officii mei; propterea, quòd quæ justissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.*

Decussata vocatur illa, quæ sic inter se disposita membra complectitur, ut eodem manen-

manente sensu atque concinnitate dictionis, pars prior Periodi seu Prothasis, cum posteriore seu Apodosi locum valeat commutare. Istius modi est principium. Cic: pro Cæcina: *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret: non minus in causa cederet Cacina Sext. Æbutii impudentia, quàm tum in vi facienda cessit audacia.* Quod sic transponi potest: *Non minùs in causa cederet Cacina sex. Æbutii impudentia, quàm tum in vi facienda cessit audacia: si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret.*

Q. Quæ sunt species Periodi imperfectæ?

R. Si membrum unum æquò longius protendatur, vocatur *Schinotenes*; si plura hujusmodi membra constituant Periodum, erit *Pneumatica*; quod si hæc membra fuerint breviora Schinotenicis, *Pneuma* appellabitur; si verò eadem membra, seu breviora, seu longiora fuerint, in tantum extendantur, ut prolixitate sua spiritum Oratoris excedere videantur, *Tasis* nominabitur. Denique *Periodica circumductio* nuncupatur illa dicendi formula, quæ quandam habet perfectæ Periodi similitudinem, aliqua tamen ad eam requisita conditione deficit. Exemplis nolo tenu-

em o-

em onerare opellam, quibus plena sunt eloquentium virorum monumenta.

Q. Quænam sunt istæ conditiones ad perfectam Periodum requisitæ?

R. *Quinque:* 1. ut servet numerum oratorium. 2. Ut contineat Prothasim & Apodosim. 3. membra ita connectantur, ut suspensus Auditorum animus ad exitum usque Periodi teneatur. 4. ut, si commodè fieri potest, verbo potius quàm alia orationis parte claudatur, quod etiam ad imperfectas extendi potest. 5. ne quatuor membrorum magnitudinem, quæ 4tuor Hexametris comensurantur, superet.

Q. Ecquæ periodi species optima?

R. E Tullii sententia, hæc, quæ quatuor membris absolvitur; quæ enim brevior est, fallit auscultantium aures: quæ longior, obruit intellectum, cùm uno veluti aspectu ejus principium, & finem intueri nequeat.

ARTICULUS II.

De numero Oratorio.

Q. Quid est numerus Oratorius, & num ab Ecclesiaste servandus?

R. Definitur à Cic: quòd sit Oratio constans partibus sonoris aurium judicio rectè & æquabiliter fluentibus. Hanc aurium oblectationem Pöetæ quærentes numero

mero sunt adstrictissimi, liberiores longè Oratores, quos Tullius sic instruit: (n.) *Neque numerosa esse, ut poëma, neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet Oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat: alterum nimis dissolutum, ut pervagatum & vulgare videatur.* Adhuc liberiores Ecclesiastæ, qui artem magis dissimulare debent, quàm Oratores profani. Nam quisquis advertit Concionatorem arte dicere, quoniam sibi putat insidias strui ab artifice, cavet ab assentiendo, & huc potiùs intendit animum, ut observet, quàm venustè, aut quàm callidè dicat, non quàm salubriter. Proinde tam circa verborum delectum, quàm circa numerum sufficiat Ecclesiastæ monitum Senecæ verè Christianum: (o) *Non delectent verba nostra, sed prosint: si tamen contingere eloquentia non solicito potest, aut si parata est, aut parvò constat, adsit, & res pulcherrimas prosequatur, talis, ut res potiùs, quàm se ostendat. Aliæ artes ad ingenium totæ pertinent, hic animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem. Sed ita competit, ut, si idem ille, qui sanare potest, comptè de his, quæ facienda sunt, disserat, boni consulet: non tamen erit, quare gratuletur, quòd inciderit in medicum* etiam

(n) *Ad Brutum n. 195.*
(o.) *Epist. 75.*

etiam disertum; hoc enim tale est, quale, si peritus gubernator etiam formosus sit. Quid aures meas scabis? quid oblectas? aliud agitur, urendus, secandus, abstinendus sum: ad hæc adhibitus es, curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Tantum negotii habes, quantum in pestilentia medicus. Circa verba occupatus es? jam dudum gaude si sufficis rebus. Lubens itaque prætereo eam syllabarum observationem, quæ in pedibus Pòëticis consistit pro Latina Oratione à Rhetòribus præscriptam, de qua S. August: (p.) *Cavendum est, ne divinis gravibusque sententiis dum additur numerus, pondus detrahatur.* Quædam nihilominus scitu necessaria non omittam.

Q. Quæ ergo illa sunt notatu digna?

R. 1. Ut Adjectivum priùs semper ponatur, quàm substantivum; sic enim aliquid ad plenam significationem avidè ab Auditore exspectatur: secùs si posito substantivo adjectivum subjicias, ceu redundans gratiam amittit, nisi id natura ejus, aut orationis cursus postulet. 2. Ut inter utrumque una vel plures voces intercedant, quando id commodè fieri potest, non autem semper, quia difficilè nimis perturbatus sensus comprehenderetur. 3. Ne verba numero syllabarum æqualia, præsertim singula monosyllaba, aut singu-

(p) *L. 4. de Doctr. Christ.*

singula longissima penes se collocentur. 4. Vitetur asperiorum consonantium concursus. 5. Earundem syllabarum in aliquot vocibus sive initio, sive in fine, seu in unius terminatione, & principio sequentis repetitio. 6. Crebra ejusdem dictionis iteratio. 7. Fragmenta Poëtica, sive carmina integra non usurpentur, verùm si ad rem quadrent, dissoluto Poëtarum vinculo liberè proferantur. 8. Periodi longioribus verbis pulchriùs terminantur.

ARTICULUS III.

De junctura Membrorum, Periodorum, & Transitionibus.

Q. Qua ratione membra Periodorum secum vinciuntur?

R. Particulis relativis, per quas Periodi sensus suspenditur, donec perficiatur: non secùs ac in ædificiis interruptis prominentes & salientes lapides videntur alios exspectare, quibuscum uniti unum opus completum efficiant.

Q. Quænam sunt istæ particulæ?

R. Multiplicis generis recensentur; *Comparativæ:* Tantùm, quantùm, talis, qualis, eò, quò &c. *Distributivæ:* sive, aut, vel, neque, bis vel pluries repetitæ. *Conditionales:* si, tunc, nisi &c. *Augentes:* Non solùm, sed etiam, adeò, ut &c. *Causales:*

ſales: Ideo, quia, quoniam, enim, &c.
Pugnantes: Etſi, quamvis, tamen, &c.

Q. Nonne ſuperſunt plures modi Membra cum membris copulandi?

R. Utique; *per Pronomina Relativa*: Qui, hic, ille, &c. per Participia cujusvis temporis, denique per quaſcunque conjunctiones, v.g. & repetitum, *quà*, &c.

Q. Quibus vinculis Periodi aliæ cum aliis connectuntur?

R. Nexus hujusmodi lectio Ciceronis cuique ſuppeditabit. Uſurpat autem ille creberrimè. *Atque ego quidem*, & *verò*, *ac primò quidem*, *enimverò*, *neque verò*, *quæ cùm ita ſint*, *quæ cùm ſe ita habeant*, *quare*, *quamobrem*, *quid quòd?* *adde quòd*, *accedit* & *illud* &c.

Q. Quid eſt Tranſitio?

R. Eſt in aliud argumentum, vel aliam Orationis partem idonea progreſſio.

Q. Quibus modis fit Tranſitio?

R. Pro varietate materiæ, variæ ſunt Tranſitionum formulæ:

1. Nonnunquam Orator ſimpliciter ac ingenuè in rem ſuam ingreditur. v. g. *Venio nunc ad* &c. Huic tranſeundi rationi reſpondet apud Polonos illa Concionatoribus frequentiſſima, quâ citato ſacræ ſcripturæ loco adjiciunt: *Mowi tam Piſmo święte*, vel *Przepowiedział tam Prorok*,

rok &c. quæ quia nimis trita & decantata est, rarissimè usurpandam judicaverim.

2. Transitur per brevem supra dictorum, & dicendorum commemorationem. Cic: pro lege Manilia: *Quoniam de genere belli dixi: nunc de magnitudine pauca dicam.* Et infrà, postquàm ad tertiam partem pervenerit n. 72. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum, restat, ut de Imperatore ad bellum deligendo ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur.* Ibidem: *Causa quæ sit, videtis, nunc quid agendum sit, considerate.*

3. *Per Conclusionem*, quæ accessum parat ad ulteriorem dictionem. Ut pro Muræna: *Nihil igitur in vitam Murænæ dici potest, nihil inquam omnino, quô constitutô facilior mihi est aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accusationis.*

4. *Per Comparationem*, cùm vel nullius esse momenti, quæ dicta sunt, eorum, quæ dicenda restant ratione habita, afferuntur, vel si illa gravia, hæc non leviora affirmantur.

5. *Per attentionis renovationem.* Cic: pro Cluentio. *Nihil posse ad hanc improbitatem addi jam videtur, attendite ultra.*

6. Dum exposito eo, quod maximum est,

eſt, adferuntur plura quamvis minora illud antecedentia aut conſequentia. Cic: ibidem. *Neque hoc eſt ſatis, tametſi in ipſo fraterno parricidio nullum ſcelus prætermiſſum videtur; tamen ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi aliis ſceleribus ante munivit.*

7. *Per conceſſionem*, quando de ſuo jure decedit Orator, ut rationem habeat, rem quaſi adhuc dubiam novo argumento comprobandi. Pro Muræn: n. 41. *Sed hæc ſanè paria ſunt omnia, ſit par forenſis opera militari; ſit par militari ſuffragatio urbana; quid? in ipſa prætura nihilne exiſtimas inter tuam, & illius ſortem interfuiſſe?*

8. *Per redditionem cauſæ*, cur ſibi ad ulteriora feſtinandum ſit, *v.g.* quòd ſe tempus ipſum admoneat, vel memoria tam ſibi ad recitandum, quàm auditori ad recordandum priùs deficeret, quàm omnia enarrare poſſet, vel quòd Auditoris patientia abuti nolit, vel quòd ea, quæ ſequuntur, majora & digniora ſunt.

9. *Per Incrementum*, Cic: pro Cluent: *Neque ſolùm in eo diligens fuit, ut accuſatorem filio ſuo compararet, ſed etiam cogitavit, quibus eum rebus armaret.*

10. *Per Similitudinem, Diſſimilitudinem, Allegoriam.* Ut Cic: pro Sext: *Verùm hæc*

hæc ita prætereamus ut tamen intuentes & respectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipse ad sese jam dudum vocat, & quodammodo absorbet Orationem meam, contento studio cursuque veniamus.

11. *Per Prolepsim* sive *Occupationem.* S. Ambros: (q) *Sed dictura es forsitan: Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi B. Thecla cum suis innumerabilibus sociis: & nos eadem carne amictæ fuimus &c.*

12. *Per correctionem cum Interrogatione.* Cic: in Catil: n. 17. *Sed cur tam diu de uno hoste loquimur, & de eo hoste, qui jam fateatur se esse hostem: de his, qui dissimulant, qui Romæ remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus?*

Ad extremum, ut paucis complectar reliqua, tot ferè sunt species Transitionum, quot Figuræ sententiarum, quarum multiplices diversasque formas in diligenti Cic: aliorumque eloquentissimorum Virorum lectione facile quivis poterit observare.

CAPUT VI.

De tribus dicendi Generibus.

Cùm tria sint Oratoris officia: docere, delectare, & movere, tria quoque ipsi respon-

(q) *L. ad Virg: lapf. c. 4.*

respondent dicendi genera: *Humile, Mediocre, & Sublime. Is enim* (inquit Augustin. (r) Tullii verba conjungendo) *erit eloquens, qui ut doceat, poterit parva submissè; ut delectet, modica temperatè; ut flectat, magna graviter dicere.*

ARTICULUS I.

De natura trium dicendi Generum.

Q. Quid est Genus dicendi Humile?

R. Quod quasi humi serpere videtur, eò, quòd proximè ad quotidianum, & familiarem eruditorum, (non tamen vulgi) sermonem accedat. Amplificationes & graviores ad motum figuras non admittit, acutas nihilominus crebrasque sententias haud excludit, ornamenta etiam cum Tropis, verecundè tamen parcèque adhibitis, minimè respuit.

Q. Quid est genus dicendi medium?

R. Quod de utroque sic participat, ut humili sublimius sit, sublimi verò submissius. Huic nervorum minimum, suavitatis plurimum inesse debet. De quo ita Quinctilianus: *medius hic modus & Transitionibus crebrior, & Figuris erit jucundior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam & virentibus utrinque sylvis inumbratus.*

(r) *L. 4. de Doctr. Christ.*

Q. Quid est Genus dicendi sublime?

R. Quod rerum, Sententiarum, Troporum, Figurarum, & Numerorum gravissimo apparatu instructum vim habet maximam, amplificationes summas, omneque genus affectuum (pro rei natura, quam tractat) excutit. Licebit hic Oratori & mortuos excitare, & vocis expertibus sermonem affingere, & acriùs exclamare.

ARTICULUS II.

De usu trium dicendi Generum.

Q. Num omnes istæ dicendi figuræ, & quando sacris in concionibus locum habeant?

R. Verbis D. Augustini (s.) Is enim ubi è Tullii sententia dixisset: *eum esse eloquentem, qui, ut doceat parva submisse: ut delectet, modica temperatè: ut moveat, magna granditer diceret*, mox subjicit: *Hæc autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in causis forensibus posset ostendere. Non autem hoc est in Ecclesiasticis quæstionibus, in quibus hujusmodi, quem volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis judicandum est: ea magna, ubi de salute ac de capite hominum. Ea verò, ubi nihil horum judicandum est, nihilque agitur ut agat, aut decernat, sed tantum ut delecte-*

(s.) *L. 4. de Doctr: Christ.*

lectetur Auditor, inter utrumque quasi media --- *in istis autem nostris quandoquidem omnia, maximè quæ de loco superiore populis dicimus, ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus, ubi etiam cavendus est æternus interitus, omnia magna sunt, quæ dicimus: usque adeo, ut nec de ipsis pecuniariis rebus, vel acquirendis, vel omittendis parva videri debeant, quæ Doctor Ecclesiasticus dicit, sive sit illa parva, sive magna pecunia.* Neque *enim parva est justitia, quam profectò, & in parva pecunia custodire debemus, dicente Domino:* qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est. *Quod ergo minimum est, minimum est: sed in minimo fidelem esse, magnum est.* --- *Et tamen cùm Doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submissè, cum aliquid docetur; temperatè, cum aliquid vituperatur sive laudatur. Cum verò aliquid agendum est, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea, quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de una eademque re magna, & submissè dicitur, si docetur; & temperatè si prædicatur; & granditer, si aversus inde animus, ut convertatur, impellitur.* Hactenus S. Doctor.

LIBER V.
De Memoria & Pronuntiatione.

CAPUT I.
De Memoria.

Quia duplex memoria est, naturalis scilicet & artificialis: primam unus, alteram secundus Articulus examinabit.

ARTICULUS I.
De Memoria naturali.

Q. Quid est Memoria naturalis?

R. Est vis seu facultas à natura animis insita ad facile unumquodque percipiendum, & perceptum firmiter retinendum. Et hæc non est pars Rhetoricæ.

Q. Estne Oratori necessaria memoriæ exercitatio?

R. Absolutè esse necessariam; *nam nisi hæc custos inventis excogitatisque rebus, & verbis adhibeatur, intelligemus omnia, etiamsi præclara fuerint, in oratione peritura.* inquit Cic: I. de Orat: n. 18. Et sanè languida prorsus, planeque nullius frugi Oratio est, quæ non de intimis memoriæ prompta

pta viſceribus fluat vivaciùs. Ita namque multa impolitè ac ſolicitus dicet Orator, ſæpe confuſo ordine poſteriora prioribus præponet, ſuperflua addet, omittet neceſſaria. Nec ſatis eſt majores duntaxat Orationis partes comprehendere, ſed ad verbum ediſcendam cum *Fabio* ſuadent Rhetores, ſiquidem Figurarum, Troporum, numeri, totiuſque elocutionis venuſtas in verbis potiſſimum poſita eſt. Quod tironibus maxime commendatur, nondum ea verborum copia præditis, ut fallenti memoriæ confeſtim aliud ſufficere queant. Quanquam & veterani Oratores adhibita hac induſtria liberiores eſſe ſolent ad vocem & actionem ex arte moderandam. Quare conſulitur Oratori novitio, ut ſuæ confiſus memoriæ orationem ſcriptam in ſuggeſtum non adferat, vel ſi attulerit, non illam conſulat. Iterata ſæpius generoſitas iſta præſtabit, ut ſuperata repetitis vicibus difficultate, audacius dein faciliuſque dicat. Faceſſant ergo plerique, qui alienos ex Libris (utinam idoneis) aut ſuos è ſcripto commentario ſermones populo ſpiritualem refectionem appetenti recitant, ſicque convenienti pabulo fruſtratum gregem è ſalutaris paſcuæ loco famelicum abire ſinunt.

Q. Num

Q. Num omnes æquè Oratores, & omnes æquè orationis partes memoriæ debeant defigere?

R. Graves Oratores ut viri Principes, ac Prælati, Reipubl. vel Ecclesiæ negotiis distenti, quorum auctoritas supplet memoriæ defectum, excusari possunt, si de scripto concionem pronuntient. Illos quoque Concionatores, quos longior dicendi usus ampliori verborum ubertate atque audacia instruxit, ab arduo singula verba memorandi labore censeo eximendos. Similiter quibus naturâ durior est memoria, aut tempus non suppetit, inutile erit ad omnia verba se alligare; cùm sæpe oblivio unius deformem hæsitationem imo & silentium inducat. Tutiùs multò fuerit, comprehensis mente rebus ipsis earum elocutionem partæ longo usu dicendi facilitati committere. Scripturæ nihilominus Sanctorumque Patrum breviores textus ad verbum sunt recitandi. Pariter, sicut in cœteris Rhetoricæ partibus cura major Exordii & Perorationis habetur, idem hic arbitror esse servandum.

Q. Quænam ad naturalis memoriæ subsidium conferunt?

R. I. *Temperamentum cerebri*, quod si fuerit calidum & moderatum; facile percipiet, & firmiter retinebit; si frigidum; parum

rum capiet: si humidum; facile comprehensa non diu hærebunt, sicut characteres in nive, vel arenis formati: si verò siccum; ægrè impressa non statim obliterantur, quasi literæ marmori insculptæ.

II. *Temperantia*; Auctore enim Plinio, (t.) *Præmium ebrietatis est libido portentosa, rerum omnium oblivio, morsque memoriæ. Vinum equidem nimium*, ait Marcilius Ficin. l. de triplici vita, *densis humoribus pessimisque habitibus caput implet, quibus humidum & turgidum efficitur cerebrum, quo fit, ut nequeant species conservari.*

III. Animus negotiis, curis, omnique vehementiori affectu amoris, iræ, tristitiæ, doloris &c. liber.

IV. Bona eorum intellectio, quæ memoriæ mandare volumus; difficilius namque percipiuntur, quæ à nobis non intelliguntur.

V. Frequens usus legendi, scribendi, & discendi. Unde Tullius inquit: (u.) *Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quàm plurimis & nostris scriptis, & alienis.*

VI. Tempus antelucanum & vespertinum; ut mirum dictu sit, quantum nox interposita adferat firmitatis, idemque illud tempus, quod oblivionis causa esse solet, firmet memoriam.

VII.

(t.) *L.4.c.12.* (u.) *L.1.de Orat: n.39.*

VII. Bona discendorum divisio, & rectus in ediscendo ordo, qui in concionibus servari poterit hujusmodi. 1. Ut res ipsæ prius, quàm verba memoriæ tradantur, hoc est diligenti meditatione recolatur, quid in unaquaque Orationis parte, Exordio scilicet, Propositione, Confirmatione, & Epilogo contineatur. 2. Quomodo primum Exordii argumentum, quomodo alterum tractetur, qualis ad Propositionem sit accessus, consideretur, neque ulterius progrediendum, donec Exordium integrum memoriâ teneatur. 3. Post Propositionem advertendum, num Digressio aliqua instituatur, an mox primum inchoetur Confirmationis argumentum, tum quid illud in se complectatur, in quam Formam Rhetoricam sit dispositum. 4. Ab isto qualis Transitio ad alterum argumentum, quid illud tractet & quomodo, & sic deinceps. 5. Ubi novam Orationis partem, argumentum vel sententiam memoriæ recenter commendaveris, eandem cum priore simul repetes, postquam verò totum sermonem sic comprehenderis, totus ea vocis gestusque moderatione, quam in ipso suggestu adhibiturus es, erit repetendus, & observanda ea, quæ minus promptè aut prorsus non occurrerunt, ut firmiùs nova repetitione imprimantur.

VIII.

VIII. Faciliùs memoriâ comprehenduntur ea, quæ in noſtra mente concepta ſunt, noſtriſque verbis expreſſa, quàm alieni partus ingenii.

IX. Scribatur Oratio. Scripta enim altiùs in animum demittuntur, quàm lecta vel audita, ſcriptio quippe eſt quædam localis memoria. Quare ex iiſdem chartis ediſcendum monet Fabius, in quibus primo Orationem ſcripſimus. Ubi ſi litura vel adjectio aliqua, aut mutatio intervenerit, hæc ipſa erunt ſigna quædam, hoc, quod ibi ſcriptum eſt, in memoriam revocantia.

X. Si aliena ſcripta memoriâ complecti volumus, curandum, ut prius in convenientiſſimum ordinem redigantur, quantum res ipſa patietur.

XI. Judicant aliqui, ut quis commodiùs, & addiſcere & retinere poſſit, optimum eſſe mediocri voce, & murmur non excedente diſcenda ſecum dicere; duplici etenim vi hac ratione memoriam cogit, dum dicit ſimul & audit.

XII. Aptus diſcendo locus deligatur, qui ſit ſolitarius, liber à ſtrepitu ac interventoribus, nec occaſionem præbens oculis aliorſum evagandi. Ubi commodè ambulari poſſit; nam ſedendo haud ita promptè diſcitur, imò tædium citiùs creatur.

Q. Quænam sunt memoriæ exitiosa?

R. 1. Immoderatus cibus & somnus diuturnior, præsertim qui capitur post fercula recens sumpta. 2. Esus crudorum, ut sunt cœpe, caseus, &c. 3. Crapula & Venus. 4. Nimium frigus, & nimius calor. 5. Multa vigilantia. 6. morbus diuturnior.

ARTICULUS II.

De Memoria Artificiali.

Q. Quid est memoria artificialis?

R. Est illa, quæ præceptorum usu comparatur, arteque perficitur. Et hæc est pars Rhetoricæ. De qua D. Thom. 2. 2. q. 49 a. 1. ad 2. sic discurrit: *Sicut prudentia aptitudinem quidem habet ex natura, sed ejus complementum est ex exercitio vel gratia: ita etiam, ut Tullius dicit in sua Rhetorica, sed memoria non solum à natura proficiscitur, sed etiam habet plurimum artis & industriæ &c.*

Q. Ecquis artificialis memoriæ inventor, & quæ artis istius præcepta?

R. Primum hanc artem protulisse Simonidem Chium Auctor est Tullius, (x.) qui ibidem usum illius explicat.

Q. Ex ea Oratoris explicatione quid colligendum?

R. 1. Memoriam artificialem constare Locis &

(x) *L. 2. de Orat: n. 84.*

cis & imaginibus. *Loci* sunt spatia quædam, in quibus rerum à nobis memorandarum imagines reponimus. Possunt esse aut *reales*, & meliùs quidem, aut *imaginarii*. *Imagines* sunt non tantùm similitudines, sed etiam notæ & signa ejus rei, quam meminisse cupimus. 2. Loci debent esse illustres, distincti, proportionati rebus, benè ordinati, ut: 12. signa Zodiaci, globus terraqueus divisus primo in 4. partes majores: Asiam, Africam, Europam, & Americam, deinde in Regna & Provincias; Palatium aliquod, Templum cum suis partibus: Altaribus, Choro, fenestris, &c. 3. *Imagines* non solùm oriuntur ex rerum similitudine, ast etiam connexione illarum, unde Troporum subsidiô formari poterunt. Sic per *Metaphoram*, imago Leonis repræsentabit fortem, Pavonis superbum. Per *Synecdochen*, si sapientiam, avaritiam &c. inducere velis, statue hominem tibi notum, hac virtute conspicuum, aut vitio laborantem. Per *Metonymiam*, ut si notes Theologiam per Summam D. Thomæ. Per *Antonomasiam*, ut idem S. Doctor ingeret menti tuæ Theologum. Sic de cœteris. 4. Imagines sint rerum notarum. 5. Ut sæpius repetantur. 6. Non in omnibus hac arte utendum, nisi in difficilioribus.

7. Una

7. Una imago poterit repræsentare totam Periodum, aut argumentum. 8. Vocabula ignota, aut per se nihil efficientia, ut Præpositiones, adverbia, conjunctiones, siquidem figuris designari nequeunt, literis Alphabeti, aut aliis vocabulis, quæ aliquam cum illis habent similitudinem, vel affinitatem in toto, vel in parte, notabuntur. Ut si voles designare Præpositionem, *per*, effingatur *aper* sine capite, notabit sine initiali litera efferendum *per*. Multò commodiùs in nominibus, *v. g.* Naso ex naso, Cato ex cato, Augustinus ex augusto menti recurret. 9. Plurimum juvabit initialia partium Concionis notabilium, punctorum vel argumentorum, Periodorum verba diligentiùs observare, & quàm firmissimè memoriæ imprimere, ac identidem mente revolvere, præsertim dum pulpitum jam jam conscensuri sumus; si equidem ista non fugiant, reliqua, propter illud, quô secum compacta sunt, vinculum, necessariò consequentur. 10. Quod si inter concionandum contigerit, unam alteramve Periodum, aut integrum argumentum elabi, ad ulteriora progrediendum est, tum si illa in mentem redierint, applicentur huic loco, si commodè poterunt, sin secus, missa faciamus.

Q. Uti Evangelicus Doctor recordabitur, si quid labili memoria exciderit?

R. 1. Habeat in promptu quosdam communes sensus, qui cuique materiæ adaptari valeant, hisque interim immoretur, donec illud in mentem veniat, quod præconceptîs verbîs eloqui animum indúxit. 2. Poterit conversus ad DEUM terque quaterque ingeminare: *A, a, a, Domine DEUS nescio loqui*; quod dein dictioni sequenti assuet. 3. Licebit per Apostrophen convertere sermonem ad Populum, asserendo se plura dicturum fuisse, si aliquid profutura perspexisset, verùm quia sermo suus nihil proficit, se eandem crambem repetere nolle. Tum si elapsa sese objecerint, quasi spe emendationis Auditorum fretus cœptum sermonem prosequatur. Cœterùm ne Evangelicus Præco ad hujusmodi incitas redigatur, priùs casta sobriaque mente Spiritus Divinissimi gratiam imploret, Cœlituumque tutelæ se commendet, quàm Divina pandere mysteria pergat, præcipiente Magno Doctore Augustino: (y) *Concionator sit Orator, antequàm Dictor.*

Q. Num & quomodo incongruè assertum sit corrigendum?

R. Omninò, ne populus sanæ loco doctrinæ, in errorem inducatur, pro salubriq;

Z mede-

(y) *L. 4. de Doctr: Christ.*

medela, venenata ei pocula propinentur. Id autem præstare poterit fidelis Verbi Dei Dispensator, vel addendo ad sententiam suam, si quid omiserit, vel detrahendo si superaddiderit, vel inde excipiendo, si quid in generali dicto non comprehenditur, vel denique si talis fuerit assertio, quæ præfatis modis corrigi nequeat, non sibi ignominiæ vertat, si ingenuè fateatur, haud se probè dixisse; sensum aut verbum hoc se invito excidisse, paulò aliter sentiendum esse, vel nolim autem hæc ita intelligatis, quemadmodum verba sonant &c. Nam sicubi hic certè valet dictū Tullii: *Cujusvis hominis est errare, nullius, nisi insipientis in errore perseverare.* Philipp: 12.

CAPUT II.

De Pronuntiatione.

PArs hæc Eloquentiæ ultima quidem est sed non postrema, pro cujus commendatione D. Bernardus epist. 66. inquit *Solet acceptior esse sermo vivus, quàm scriptus, & efficacior lingua quàm litera, nec tam affectum exprimit scribens digitus, quàm vultus. Non tam enim quid dicas, quàm qui vultu & actione dicas, attendere homines solent.* Continetur Pronuntiatio duobus nempe: *voce*, quæ aures; & *gestu*, qui oculos

culos movet, per hos quippe duos ſenſus omnis ad animum penetrat affectus. Hanc igitur primus, alter illum Articulus explanabit.

ARTICULUS I.

De Voce.

℞. Quæ eſt optima vocis moderatio?

℟. Quâ ita dicimus, quemadmodum natura ipſa, & communis loquendi modus dictat eſſe pronuntiandum. Nunquam enim tam ridiculi ſumus per qualitates, quas habemus, quàm per illas, quas nobis adſciſcimus. Errant proinde, qui aliam putant eſſe debere figuram in concionando, quàm in loquendo, niſi quòd propter loci amplitudinem ſit vox attollenda, ut ab omnibus audiri poſſit.

℞. Quænam circa vocem ſervanda?

℟. 1. Ut pro varietate rerum variè inflectatur, gravia graviore, levia leviore tono proferendo. 2. Gradatim voce aſcendere convenit, nam initio ſtatim clamoribus auditorum opplere aures agreſte eſt & barbarum. 3. Toto dictionis tractu ſemper vociferari, tonare, fulminare, aut ſubmiſsè continuò loqui potiùs ad tædium in audientibus pariendum, quàm ad affectus movendos conducit. 4. Si aperto Cœlo dicendum fuerit, videat Concionator, qua parte ventus ſpiret, atque ita

 pulpi-

pulpitum locari faciat, ut à tergo murus, vel tabulatum quoddam, aut velum aliudve repagulum ventum arceat, vocem, ne dispergatur, contineat, ac facile reddat. Si verò intra parietum septa declamandum fuerit, exploret imprimis Orator, ac deinceps eo semper vocem dirigat, unde repercuti atque in Auditorem diffundi solet. Prodest quoque, dum vox latiùs dispensanda venit, ut in affectibus ciendis, intra sacri pulpiti tabulatum, propius murum sese intimius contrahere. 5. Antequàm sermonem inchoes, juvat parumper subsistere, & cogitabundi instar hærere, quô præparetur Auditor ad curiosiùs audiendum, & Concionator observatis jam Personis suis in locis, postea non impediatur, ast cum majore confidentia peroret. 6. Principio Orationis uti & periodi, à submissa incipiendum est, inde sensim absque sensu ascendendum, donec in fine iterum demittatur. 7. In Exordio utendum voce remissa, modesta, gravi, aures permulcente. In Propositione adhibeatur altior, tardior, clarior, ut scopus dictioni nostræ præfixus, ab omnibus queat percipi. In Narratione docentes imitemur, clarè & apertè rem exponendo. In Confirmatione sit vox plenior, agilior, acrior. In Confutatione severior. In Peroratione & affectibus vehe-

vehemens, animoſa, libera, incitata. 8. Cavenda eſt cantillatio, poſtremarum ſyllabarum ſuppreſſio, mollis & effæminata verborum prolatio. 9. Graviter delinquunt ii, qui ſumma celeritate, nullâ interpoſitâ morâ uno ſpiritu atque impetu omnia percurrunt, quod præſertim iſtius officii rudibus, ac veluti tironibus familiare eſt, qui memoriæ diffidentes, aut metu perculſi linguæ volubilitatem moderari nequeunt, nihil diſtinguunt, omnia confundunt, & vix quid dicant, aut quomodo dicant, ceu extra ſe rapti, ipſi attendere poſſunt. 10. Contrarium huic vitium eſt tarditas, & frequens interpellatio, à qua non excuſantur ii, qui finitis ſingulis argumentis juſtô longius intervallum nulla exigente neceſſitate interjiciunt, abſterguntque frontem, ac totum vultum, quamvis minimè deſudârint. 11. Crebrò tuſſire, excreare, ſpuere, nares emungere, Oratorem dedecet, ſermonem interrumpit, honeſto Auditori faſtidium parit.

ARTICULUS II.

De Geſtu.

Q. Quid eſt Geſtus ſeu Actio?

R. Eſt debita totius corporis ejuſque partium pro rerum, & affectuum varietate per motum conformatio.

Q. Qui

Q. Qui gestus maximè accommodatus?

R. Qui rem ad vivum exprimit, atque oculis subjicit, à quibus in animum delabitur.

Q. Quid de totius corporis motu præcipiendum?

R. Status corporis debet esse erectus, in nullam partem propendens. Quare turpe est Concionatorem in pulpitum procumbere, dum submissè aliquid narrat, deinde simul cum elevatione vocis erigi, multò turpiùs situm jacentis semper referre.

Q. Quid in motu partium corporis observandum?

R. *Caput* huc atque illuc leviter non projiciatur, poterit tamen aliquando graviter moveri, vel annuendo dum aliquid confirmamus, vel renuendo dum negamus, vel inclinando dum languorem aut aversionem significamus. *Detegitur*: dum sanctum legitur Evangelium, aut Auditor reverenter primùm salutatur, vel sacra JESU, MARIÆ, aut Sancti Nomina, cujus laudatio instituitur, pronuntiantur. Denique si Apostrophe ad DEUM aut Sanctos habeatur, quod in Epilogo fere semper fieri consuevit, toto illius tractu caput apertum esse convenit.

Frons initio sit exporrecta & alacris, ne coactus fari videare, & sic Auditor te non

non libenter dicentem minùs libenter audiat. Mutanda erit, ubi affectus iræ vel similis repræsentandus occurrerit.

Vultus & *Oculorum* aspectus nunc blandus, nunc severus, nunc torvus, jam mitis, hilaris aut tristis pro rerum affectuumq; diversitate præsentandus.

Labra nec adstringi, nec exporrigi, nec morderi, nec lingi convenit; nam ore magis quàm labiis loquendum esse docet *Quinctil.*

Collum neque contractum esse debet, neque extensum.

Humeros dedecet jactare, attollere, vel contrahere.

Manus, sine quibus (ut ait Fabius) *trunca ac debilis esset actio*: 1. Non statim cum initio orationis movendæ, sed parumper quietè sunt tenendæ, donec pronuntiata prima Periodo, vel illius parte Oratio effervescat. 2. Nisi in summis affectibus capitis altitudinem non excedant, neque infra pectus demittantur, nec extra latus evagentur. 3. Sola sinistra rarissimè gestum faciet, sæpiùs dextræ subserviet. Interdum utraque immota quiescet, ubi nihil ad agendum habebit, haud tamen longô intervallô.

Q. Qua manuum moderatione diversæ affectiones actionesque indicandæ?

R. 1. *Admiramur*: vel modicè compositas per

flexum

flexum manus elevando, vel oculos in Cœlum attollendo, vel utrumque simul præstando. 2. *Asseveramus*: admota pectori dextra, vel indice in Cœlum protenso, reliquîs digitîs cum pollice contractîs, aut manibus leniter complosis. 3. *Aversamur*: caput in sinistram, manusque sublatas in dextram partem detorquentes. 4. *Confirmamus*: dextram pronam graviter ac decenter deprimendo. 5. *Contestamur religiosè*: volis ad pectus applicatîs. 6. *Desperamus*: manibus abjectîs & prolapsîs. 7. *Distinguimus contraria*: modò in lævam, modò in dextram manus transferendo. 8. *Docemus*: manibus pronîs, aut complicatîs gravi quodam ac decente motu depressîs. 9. *Hortamur*: manu cava, & aperta identidem sublata. 10. *Indignamur*: manu ad pugnum contracta cum levi suggestûs percussione. 11. *Interrogamus*: dextram ad Auditores conversam paululum sublevando. 12. *Ironiam ostendimus*: utroque, vel alterutro indice in latus protenso, vultu averso, & subridente. 13. *Minitamur*: erecto ac tremulè moto indice, cœteris in pollicem contractîs. 14. *Molem crescentem exprimimus*: manu manui subjecta. 15. *Monstramus* nosmetipsos, manum dextram, vel utramque ad pectus convertentes. Res cœteræ monstrabuntur manu vel sursum, vel deorsum,

vel

vel aliò conversa, pro ratione positûs illius rei, quam volumus demonstrare. 16. *Negamus:* manum dextram aversam, in latus dextrum removentes. 17. *Numeramus:* vel digitis, vel mota manu à læva in dextram partem modica locorum intervalla distinguendo. 18. *Prohibemus:* manu elata & quiescente. 19. *Supplicamus:* manibus elatis & junctis, aut humiliter remissis. 20. *Timemus:* manibus sublatis aliquantum palpitantibûs, ac sensim versus pectus recedentibus.

Q. Quænam generatim circa gestum servanda?

R. 1. Ne cum primis Exordii verbis, sed post aliquam sententiam inchoetur qualiscunq; sit. 2. Non sit vastus, qui ultra humeros & caput protendatur. 3. Non sit superfluus, sed tum adhibeatur, quando rei designandæ, aut affectui exprimendo deservit. 4. Non continuò eodem modo formetur ducendo manum à sinistra ad dextram, vel à dextra ad sinistram; vel ab exedra sursum, ex alto deorsum, vel semper manus jactando, forasque secantis in morem projiciendo, sed pro varietate exprimendarum rerum atque affectuum, juxta methodum jam præscriptam varius gestus adhibeatur. 5. Crebra verticis agitatio, digitorum crepitus, manuum plausus, frontis rugatio, buccarum infla-

tio,

tio, pedum ſupploſio, totiuſque corporis diſſoluta quædam jactatio non benè moratum hominem indicant. 6. Frontem ferire, cathedræ margines pulſare, capillos evellere, ſigulos & cœterarum artium modos fingere imperitis quidem placet, at indecorum & abſonum videtur eruditis.

Verùm cùm hæc, quæ pro modulo virium mearum, ac breviſſimi temporis capacitate collegi, cæteraque quæ in hac arte præcipi poſſent, non adeò ſacrum juvent Oratorem, niſi accedat virtus Spiritus Diviniſſimi, quæ & Intellectum ejus in inveniendo illuminet, & prudentiam in diſponendo largiatur, & ſententias in eloquendo inſpiret, & memoriam confirmet, & vocem animet, & corporis figuram geſtuſque ad gravitatem atque efficaciam componat, ideò manum de tabula moveo, concludens opellam præſentem verbis S. Aug: (z) quæ optimè in omnibus meo inveni quadrare propoſito: *Sive autem apud populum, vel apud quoslibet jam jamque dicturus aliquis, ſive quod apud Populum dicendum, vel ab eis, qui voluerint aut potuerint, legendum eſt dictaturus, oret ut DEUS ſermonem bonum det in os ejus. Si enim Regina oravit Heſter*

pro

(z.) *L 4. de Doctr. Chriſt.*

(*) pro suæ gentis temporaria salute locutura apud Regem, ut in os ejus DEUS congruum sermonem daret: quantò magìs orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute, in verbo & doctrina laborat? Illi verò, qui ea dicturi sunt, quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant, orent, ut benè & ipsi proferant, & illi, ad quos proferunt, sumant: & de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant, ut qui gloriatur, in illo glorietur, in cujus manu sunt & nos, & sermones nostri.

Ad
M. D. G. B. V. M. H.
SS. PP. B. J. C. Cultum
& Venerationem.

(*) *Hester 14.*

CON-

CONSPECTUS
MATERIARUM,
Quæ in hoc Libello tractantur.

PROLEGOMENA.

LIBER I.

De Amplificatione in utroque sensu accepta, & affectibus.

Arti-

LIBER II.
DE INVENTIONE.

Arti-

LIBER III.

De Diſpoſitione Oratoria variiſque concionandi modis.

LIBER IV.

DE ELOCUTIONE.

Arti-

LIBER V.

De Memoria & Pronuntiatione.

MENDA ſic CORRIGENDA.

Pag.	*Verſ.*	*Mendum.*	*Corrige.*
13.	ultimo.	correſpondant	correſpondeant.
17.	26.	Comporatio	Comparatio.
19.	- 7.	*Dialectiorum*	*Dialecticorum.*
21.	- 22.	comodiore	commodiore.
31.	- 3.	à	deleatur.
39.	- 9.	incauſtus.	incautus.
43.	*in fin:*	*(t.) n. 155.*	*n. 39.*
48.	- 1.	*Nazan.*	*Nazian.*
48.	- 6.	veſtutate	vetuſtate.
58.	24.	*nonulla*	*nonnulla.*
80.	14.	integer verſus pro non adjecto habendus.	
170.	1.	*ſtražliwe*	*ſtraſzliwe.*
171.	1.	*twoeey*	*twoiey.*
175.	18.	*damnetur*	*damnentur.*
199.	13.	*captiovos*	*captivos.*
268.	26.	effectu	affectu.
294.	22.	*Tripliciter*	*Dupliciter.*
314.	25.	udicaverim.	judicaverim.

Cætera hìc præterita benevolus Lector facile corriget.

FINIS.